6
22-a
24

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 E
20

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

21-e-15

21
e
16

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI

SACCI RICCOBONI
HIPPICON

Libri Quatuor.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Torniellus Vicesg.

FRanciſci Sacci *Hippica*, demãdante Reuerendiſs. P. F. Nicolao Riccardio Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici, legi: Opus profectò à Muſis, earumque Præſide in Hippocrenes adytis dictatum, ab Auctore fideliter exceptum, & erudito, ac culto Latini Sermonis nitore, raris cum eloquentiæ luminibus redditum. Nihil in eo offendit: ſed omnia Chriſtianæ pietati, ac moribus conſona publico Rei Litterariæ bono, quàm primùm edi poſſunt, & debent. Romæ Prid. Kal. Aug. MDCXXXIV.

Leo Allatius.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Lupus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. F. Nicolai Riccardij Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

FRANCISCO

CARD. BARBERINO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCISCVS SACCVS F.

ET Orbis Terrarum habenas moderari, & Equi fræna præclarè flectere, Principis eſt; ideo tuum eſt. Generoſus vtrinq; ſudor: tantum alterum artis habet, quantum alterum gloriæ. Enimuero, antè quàm Virtus Barberina faſtigium pareret Principatus, in egregio puluere, equorumque moderatione mundi moderationi proludebas, & cùm artes equos flectendi noſcebas omnes, tunc eximium ſanè rudimentum ponebas, vt fræna tractaret illa manus, quæ regnatrices flexura poſtmodùm fuiſſet habenas.

Digitized by Google

Quamobrem Phœbus hic meus, qui non lucis Auriga, ſed Poëſis Eques prodit in lucem, tuum ſibi iure vendicat patrocinium: quem enim veneratur, vt Principem, adit, vt Equitem. At veretur maximè, nè turpe ſibi ſit geſtum facere coram Roſcio: audet tamen; nil ſiquidem putat coram benigno Principe verendum: præſertim cùm nunc primùm in arenam Pegaſus ingrediatur. Propterea ſi non tam rudis Eques, quàm Poëta ruam excuſſus, parum mihi negotij faceſſit: immo iucundè ruam; ſi cadens erigar abs te, qui & labantes pene literas fulcis, & Poëſim tuum recipis in ſinum:

GABRIEL MARINVS
Candido Lectori.

PHOEBVS Muſarum Præſes,ac Numen id vni ſibi gloriæ vertere autumauit,quod equos rectè moderaretur. In Phaëtontis excidio ipſimet Ioui exprobrauit inſcitiam; quòd nimirum neque ipſe Mundi Rector nouiſſet equos illos imperio coërcere, qui,quoniam non ita nauiter ab ipſius filio regerentur,ad vltionem fulmina prouocarent: tanti ſcilicet ſtetit error: vt Adoleſcens à nimiùm rigido præceptore fulminibus vapularet. Ac ſi non multò facilius tonitrua torquerentur,quàm equi, & coruſcantibus vndiq; flammis ad hominum excidium citius aperiretur via, quam rapidis equorum greſſibus mundo dies reſeraretur: Etenim candidus diei nitor à fulminum fulgore diſcrepat & fulgetrorum, ſegnium, reſidumque equorum lateri ſubijcitur ignis, non rapidorum. Idem Numen apud Pindarum Hetruſcum cùm quereretur eò audaciæ hominum gloriam deueniſſe, vt cum ipſomet Phæbo auderet de immortalitate contendere illo vnicè connititur argumento longè diſparis ſe rationis premium demereri, quòd rectè quatuor alioqui ferocientes equos inflectat,ac regat, ideoque beneficio longè maiori proſequi ſe terrarum orbem vniuerſum, quàm quempiam: adeo glorioſum putat equos tũ dignitate moderari. Hippocrene,fons ille,qui ad alendos quotidie Poëtas abundè manat (quandoquidem huiuſcemodi homines potu magis,quàm cibo vitam ducunt, an trahunt?) vel ipſo in nomine equinam præſefert originem, vt palam nempè faciat,tam conſentaneam eſſe Poëſeos ſectatoribus equeſtrem exercitationem,

quam

quàm Hippocrenem. Quamobrem nouus hic nodus Poëticæ, atque equeſtris artis mirus vlli videri non debet, ſi meminerit præſertim Poëtas ſuorum pedibus verſuum equitare, Poëticumq; ſermonem pedeſtri è regione reſpondere. Quamquàm alia fuit cauſa, quæ ſuaderet Auctori, vt opere vno facultates haſce coniungeret: quòd nimirum à primis annis vtramq; nutricem habuerit, alteram animi, corporis alteram: nam vt Poëtica exercitatione animus ita corpus equeſtri vegetatur; nec minore cum laude inter Vrbium plateas ſpatiatur Equitum agilitas, membrorumq; concinnitas, quàm inter Gloriæ ſpatia equitat ingenium. Sed illæ, vti laudem poſcunt è veſtigio euaneſcentem; ita præmium conſequuntur illicò periturum: iſtud vti laudem obtinet permanſuram, ita præmium ſortitur neque tempore marceſcens, neque loci interuallo circumſcriptum, ſed ipſi propemodum par æternitati. Enimuero Poëſis iam diu fuerat ab huius opere auctore intermiſſa, vt vix infans in ipſius ore tenerrimè balbutiret, cùm nimiùm ſeuerè deiectam à gremio alendam Nutrici demandauerit, quippe qui grauioribus Iuriſprudentiæ ſtudijs ſuum auctorauerat ingenium. Scilicet Phœbus Pater illum emanciparat, vt ſui iuris effectus liberiùs tandem Iuriſprudentiæ adiret hæreditatem. Quibus ille ſtudijs detinebatur apud S. Rotæ Romanæ Decanum Io: Baptiſtam Coccinum, quem ipſe Muſas inter ſeueriores ſuum rebatur, & venerabatur Apollinem. Verùm ægritudine contracta, atque imbecillitate pertinaci Rhegium patriam Vrbem repetere compulſus eſt, ibiq; natiuo aëre recreari. Regionis amænitas, otijq; opportunitas perſuaſerunt, vt amænioribus literis veluti poſtliminio reuocatis, priſcamq; ſibi poſſeſſionem ingenij vindicantibus Poëticum hunc laborem quamuis languida, deſuetaq; manu aggrederetur. Nimirum vt ita gratiam Apollinis aucupatus valitudinis ſuæ fautorem Patrem haberet apud Aeſculapium filium, & ſi operæ pretium eſſet contra legum imperia vitæ cauſæ apud Iudicem filium pater aliquando patrocinaretur. Neque hoc ille opus productum ad exitum in

publi-

Digitized by Google

rit,vel,quæ proximè dilapſa eſt, tradiderit. Neque etiam cuiq; quam confecit fabulam, deeſt moribus vtilis affabulatio. Sic exempli cauſa Paſtorum Argonautas inuitantium fabula docet à Magnatibus poſtoritiam tenuitatem non eſſe contemnendam, neque à rure abhorrere humanitatem. Calais in ventum, Hipponax in equam Metamorphoſis documento eſt, Amoris delicias euaneſcere, & voluptatibus homines efferari. Morgana, quę Principum Virorum inter imagines etiam virtutis aſſeclarum, & præcipue Poëſeos ſimulacra commonſtrat, monſtrat etiam Virtutem ſectatores ſuos æquiparare Principibus, atque eorum in ſolio propemodum collocare. Idem licet in cæteris fabulis intelligere. Faue igitur quiſquis hæc legis eruditis laboribus, atq; vna eademq; opera hinc diſce, & equitare cum Bellerophonte, & Caſtaliam venam excitare cum Pegaſo.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

REcenſentur equariæ nobiliores, inter quas præter equos Calabros, Appuloſq; probantur Liburni, Hiſpaniq;. Liburni quidem à Cyllaro dicuntur traxiſſe præſtantiam. Medea fontes Liburnos, quorum aquas potarat Cyllarus, excantauit, vt equi potum ex ijs haurientes Cyllaro ſimiles redderentur. De Hiſpanis verò aſſeritur, Calain, & Zethen poſt Colchicam expeditionem actos ab Ioue fuiſſe in exilium ob fugatas Harpyias, Calainq; cùm forte peregrinaretur, in Hiſpania Hipponam Tagi filiam adamaſſe; ſed Patrẽ indignatum hoſce amores vtroſq; aucto fluuio abſorbere conatum eſſe. Calais mutatur in ventum Patris, Hippona in equam Veneris auxilio. Hinc ergo eſt, quod aiunt, equas ex venti congreſſu equos procreare perniciſſimos, ideoq; filij nuncupantur aurarum. Proponuntur ſigna ad dignoſcendam indolem pullorum Equinorum, colorumq; diuerſorum ratio redditur ex fabula Neptuni, ob Palladis ſimultatem equos è mari procreantis. Probantur aliqui. Traditur denique domandi pullos equinos ratio. Caroloque Barberino Principis Vrbis Præfecti filio rationem laudat equos cum laude flectendi, vbi præclaras Chriſtianæ rei per ætatem res gerere licebit.

FRAN-

Digitized by Google

publicam prodire lucem permiſiſſet hoc ſæculo,quo Poëtæ, Viriq; in alio quouis genere literati non modò quotannis contra dictum vetus naſcuntur, ſed propè quotidie; vt ferè nunquam Sol oriatur, quin alium antagoniſten ſuum ſecum videat, ac demiretur Apollinem. Ac proinde non temerè tempori adulatur, ac moribus ſuis, qui magnificè iactat in vulgus noſtrum hoc,in quod incidimus æuum,non aureum eſſe, ſed laureum, in quo nimirum ipſa literata felicitas eſt. Peruicere tamen multorum, quorum apud eum ſumma eſt auctoritas, Equitum, Magnatumq; preces amicorum, meæq; preſertim,vt aliquot illis,mihiq; operis communicarentur exempla: ſed,vbi de his Amanuenſium opera deſcribendis actum eſt,impendijq;ſubductæ rationes,animaduertit longè minore ſumptu typis edi poſſe, quàm deſcribi. Quamobrem maluit opus Bibliopolis euulgandum dare, quàm ſcribis. Quod ſi quis etiam curiosè requirat, cur Latinis potius quàm Italicis verſibus equeſtres præceptiones illigarit,cum huius quoque Poëſeos puerilia rudimenta iam pridem in lucem edendo quid in noſtrate etiam lingua poſſet, puer oſtenderit; hanc à me ipſius interprete cauſam accipiat. Cum à varijs extra Italiam regionibus magno concurſu nobiliſſimi viri Romam proficiſcantur,vt equeſtrem artem hac in Vrbe condiſcant, cuius olim potiſſima pars fuit Equeſtris Ordo;ne tantùm impoſterum exhaurire laboris,itineris,ac ſumptus cogantur,ad eorũ patrias terras tranſmittere decreuit Auctor hanc tanquam epithomen earum legũ, quas hìc ex ore magiſtrorum acciperent. Horum igitur in gratiam Latina Nationum omnium vernacula ſcripſit lingua. Ne tamen arguas ob id eam eſſe ſententiam Auctoris,vt putet ex hiſce præceptionibus equeſtrem artem probè teneri poſſe: equeſtris enim præter alias facultates,quàm maximè opus habet exer citatione,putat autem ille diſci non poſſe, ſed noſci. Operis verò promulgationem ideo accelerauit, quòd quædam huiuſce opuſculi fragmenta ipſius domo iam pridem egreſſa per manus adeo mendoſa ſcribarum incuria ferebantur, vt perſæpe non ſine

Aucto-

Auctoris nota legerentur, cùm inuitarent præſertim illuſtres huius, orbis ne dixerim terrarum, an Vrbis Achademici Humoriſtæ? quorum ipſe non ſolum conſeſſu iam olim pene Puer; ſed Adoleſcens omnino Cænſura dignus habitus fuit; quæ quidem prouincia non niſi eruditiſſimis, & multiplicis literaturæ Viris demandatur. Horum igitur ſcriptionibus permultis quaſi ſtimulis adactis, incitatus eſt ad Poëma prematurè vulgandum. Acceptum autem id refert Bartholomæo Tortoletto, Henrico Chifellio, Petro Franciſco Paulo, Franciſco Balduccio, Franciſco Maſuccio, Antonio Abbati, Herculi Faëlio, Alphonſo Cõfidato quorum, aliorumq; etiam ſcriptiones Poëmati de more præfixiſſet, niſi, dum promulgationem ille procraſtinaret, adeo excreuiſſent in numerum, vt pene par inſerendum eſſet opuſculum. Reijcere tamen eas in tempus opportunius, & locum commodiorem ingenuè profitetur, cum alia ſua vtriuſq; ſermonis Poëmatia luce donabit. Hoc autem nunc profert opus ſolitarium, vtcumq; ſuccedat animi ſecurus: nam ſi breui extinguatur, atque hominum obliuione tumuletur, gaudebit ſibi non pluris ſtetiſſe rem perituram; ſin vitam diuturniorem ſortiatur, in operibus alijs edendis ſumptu liberabitur à Typographis, qui ſibi lucrum ea de cauſa vindicabunt.

Quod verò ſpectat ad quandam operis prægustationem, atq; notitiã, Equeſtris hic Artis præceptiones continentur excogitatis ab Auctoris ingenio maxima ex parte fabulis ad amænitatem diſtinctæ, neque enim operoſo ingenio precariò ſupellex erit. Et ſanè nimiùm quantùm deſudandum illi fuit in re cum dignitate tractanda, quandoquidem ex veterum Ingenijs Poëtarum nullum per Circi vmbram, paleſtræque Arenam ſpatiatum fuit, & admodum parua ſunt, quæ tradidit Xenophon, vt perinde neque minimùm quidem alienis ingenijs obæratum ſe nouerit Auctor, ſed curatoris expers tutelæ ſuæ fuerit in pueritia Hippicorum: præcipuè cum de frænis, eorumq; vſu loqueretur, cùm maxima ex parte eorum vſum vel noſtra hæc ætas inuenerit,

FRANCISCI SACCI
HIPPICON
Liber Primus.

QVA ſe ſtirpe probet ſonipes, quibus ora lupatis
Flectat eques, ſtudio quadrupes quo iuſſa ſequatur,
Quotque leuis ludo ſpectacula reddat equeſtri,
Exequar. Ille manum, mentemq; imitatus herilem
Aëra ſubſiliens petat, & grauis vngula campum
Subiectum longè quatiat, greſſusq; ſuperbos
Addiſcat glomerare ſolo, per & auia curſu
Ferre viam celeri; ſed, vbi magis ardor euntem
Inſatiatus agit, docta qua ſuetus ab arte
Mulceri, vt neque auara manus, neque prodiga fræni
Aſperet, aut nimiùm fugienti indulgeat iræ.
Phœbe age, ſi meruit ſonipes, tibi debita dudùm
Poſcit, inexhauſta ſi tempora luce coronas,
Ille trahit currum, quo Cælo obnixus ab alto
Spargis in arua diem, & radiantia munera fundis:
Pimplæas ſi lætus aquas modulamine mulces,
Et totum in choreis animas ad carmina Pindum
Ille tibi fontes aperit, lymphasq; loquentes,

Digitized by Google

Et famulatrices tibi protinùs excitat vndas,
Labra vbi dulciloquum mergis potura furorem:
Sic, ſeu Phœbe canis, ſeu ſpargis lumine terras,
Seruitium tibi ſemper Equus memorabile præſtat,
Pegaſus vt Pindo, Pyroiſque inſudet Olympo.
Quare age, Cornipedum cane non indebita laudum
Nomina. Tuque leues præbe mihi Pegaſe pennas
Bellerophontææ felix auditor habenæ,
Vt Cirrhæa petam ſtagna, adſtupeantque relicta
Nubila, miranteſque Noti, Zephyrique ſequantur:
Nàm totum ſorbere iuuat cum flumine Phœbum,
Proſequar vt fauſtis tua nunc decora alta Camœnis.
Nàm tuus, æthereas te iàm volitante per oras,
Hinnitus quondàm reſonans impleuit Olympum,
Pulſaque ferrato gemuerunt nubila cornu;
Vnde Polo exceptus noua per Præſepia potas
Aſtriferum Eridani Torrentem, & luce ſuperbus
Sidereis crinita iubis tua colla tumere
Cernis, & innumeris aſtrorum ardere pyropis
Fræna, Lycaonij dùm tu conuexa Bootæ,
Arctoamque domum, & Cælo Delphina natantem
Sæpè tuo cogis ſpumarum albeſcere nimbo.
Auſpicijs, FRANCISCE, *tuis in luminis oras*
Hoc nuper conſurgit opus; te Vindice Lethes
Tranſuolitare vadum, Latijque in margine Cæli
Sperat inocciduos longùm traducere Soles.
Tu Vaticani veneranda ex Arce priuſquàm

Pro-

Digitized by Google

Pronum fulcires Patruo cum Præſide mundum,
Sæpe Equites inter felicis in æquora campi
Ibas Cornipedem facili moderatus habena:
Et ſtudij lenimen erat, magnique leuamen
Ingenij docto ſudata labore voluptas;
Vt pretium Virtus, & haberent otia tandem
Magnanimæ Virtutis opus; laudique futuræ
Præludens frænum regeres, qua Sceptra coruſcas
Regnatrice manu: gemina nunc laude renatus
Alcides mundo es, cuius dorſo incubat Orbis,
Quique feras domuiſſe potes, vel verbere virgæ;
Vel iaculo vultus. A te quàm dulcè domari eſt,
Nereidum cui vel manibus nutritus Arion
Fræna petit, ſuaque audenti ſupponeret vltrò
Terga ſagittiferas ſuper aſſilientia turmas,
Quemque ſuum velox Auroræ nuncius Aethon,
Sidereo quoties Equitem te vidit ab Axe,
(Quandoquidèm & felix tibi tempora laurus inumbrat)
Solem ſæpe putans ex æthere adhinnijt alto:
At mox, Romani radios conſpexit vt oſtri,
Credidit Auroram, & lucem ſubmiſit ab æthra;
Sed, poſtquam errorem didicit, miratus euntem eſt,
Atque erraſſe placet, medijſque exultat in aſtris.
Ergò age, pande viam blandæ Dux artis, & Auſpex;
Quàque haud vlla patent veterum veſtigia Vatum,
Tu mihi, tu calles aperi, nouus orbis Apollo,
Siue diem retegis, ſeu das in carmina vires.

Principio ſit Equis ſtatioque, genuſque petendum,
Multùm etenim refert, genus an det nobile fœtum.
Hìnc tu præcipuum in campis impende laborem,
Vt meliora legas Genitorum corpora, cordi
Si quos eſt fortes in ſpem ſubmittere proiis:
Nam matres legiſſe iuuat, ſtabulique maritos,
Quos penes, & ſtirpes, & adultæ gloria gentis.
Hìnc ſonipes fœcundet equas, qui ſtemmata iactet
Longiùs, & titulis ſurgat generoſus auorum,
Queis bona magnanimos probet admiſſura Parentes.
Hos tibi mittit equùm fæcunda Calabria partus,
Proxima quà mordet rabies Scyllæa Pelorum;
Seu ſonipes nigri flauentia culta Galeſi
Per ſtrepit hinnitu; ſeu lucida potat aprici
Stagna Lai; ſeu quà ſibi Rex armenta locauit
Regia; quàue ſuos nutrit Piſcaria pullos,
Et Biſianeo ſpatiatur equaria campo.
Aut hos in calidis ardens alit Appulus aruis,
Siuè Aquauiua dedit, ſiuè Itala præbuit Andros.
Nutrit Iapygio ſeu quos circùmflua Nereo
Inſula, quà medio magni natat vmbra profundo
Gargani, Adriacas vbi proximus exit in vndas
Arduus, & ſummos obſcurat imagine fluctus,
Quà Diomedeæ ſcopulos tenuère volucres.
Illi tarda ſuos tibi per veſtigia greſſus
Altiùs attollunt, & in aluum crura reponunt;
Et quamquàm alternis quatitur, magè terra ſuperbit
Greſ-

Greſſibus, igniuomis cùm plurimus ardor anhelat
Naribus, & , dùm illis latè vapor igneus implet
Lumina, ab ore magis niueus rigat imber arenas.
At nimiùm ardeſcit Calaber; quamquàm ille magiſtri
Sæpè libens ſubeat leges, & fræna ſequatur.
Hos fertur Circe antiquos docuiſſe furores,
Cùm liquidas infecit aquas, vbi molle ſolebat
Scylla lauare latus, ſæuum vndè à fonte venenum
Hauſit, & inſanis bacchata eſt percita flammis
Trinacrij quondàm populatrix virgo profundi:
At velut illa vſu, & crebris ſulcata carinis
Fræna pati didicit, rabiemque exuta ſeueram
In mores negat ire ſuos, ità fractus habena
Stat ſonipes, pingui Calaber quem gramine paſcit,
Senſit vbi crebro retinacula fortia morſu;
Quàmuis antè ferox, & habenæ neſcius iret,
Magnanimamque iram meliora in munera transfert:
Illa etenim, tenero quæ innata ferocia pullo,
Sæpè fouet vires, alacriſque audacia adulto eſt.
Sed, quos Cappadocum niuea ſub valle frementes
Audijt Argæus, preuertere fulmina gaudent;
Seu iuga tranantes illos nemoroſa Niphatis
Caucaſeæ lauere niues, ſeu culmina Tauri
Tranſgreſſi aut Indos, aut vltima Bactra pererrànt.
Quàmuis haud eadem Bactris natura, ſoloque eſt;
Nàm, quà nimboſum tellus aperitur in Auſtrum,
Infelix Cælum, & ſteriles dominantur arenæ,

Atque

Digitized by Google

Atque vbi dimiſſi Ponti de littore venti
Incubuere ſolo, conuerrunt æquor, arenaſque
Inſtar montis agunt, & multo turbine circùm
Puluereamque hyemem, tempeſtatemque reuoluunt
Arentem: merſæ ſub puluere protinùs atro
Interiere viæ: tùm, qui veſtigia campo
Subuerſo ſub nocte mouet, vaga ſidera ſeruat,
Nautarumque è more, ſolum dùm nauigat, ille
Sideribus metitur iter: ſic clarior vmbra
Sæpè micat noctis, quàm lux inamœna diei.
Quà tamen Eurus equis felix ſpatiatur Eois
Vernat mite ſolum, dulcique vligine lætum
Funditur, effuſi voluuntur in æquora fontes,
Paſcuaque exhilarant, & inexpugnabile gramen
Dulcè rigant, ſabulique, infœcundique rependunt
Alterius deſerta ſoli: illìc liber aperto
Prato ludit equus reparantque emulcta parentes
Vbera, & incerto petulans perſtringit apricos
Curſu Pullus agros, & compita ſaltibus implet.
Acer equus bello, duriſque laboribus vltrò
Fortior, atque illi non impar gratia formæ eſt.
Sic, qui Threiciis ſpumantem in vallibus Hebrum
Fortè natant, geminas quà Boſphoras vrget arenas;
Quos Pangæa tenent, quos & Rhodopæa niuoſis
Exercent dumeta iugis, quos Iſmara paſcunt:
Orpheis animata modis; hos Orpheus olim
Sectanteſque lyras, auditoreſque canori

Pecti-

Pectinis expertus ſaliiſſe ad carmina vidit;
Cùm vel clauſa ſuis ibant armenta cauernis,
Ipſaque mirantes portabant paſcua ceruos.
Hìc celeres ager aptat equos, magis omnibus, vnus,
Floret Olympiacæ quibus inclita palma Palaſtræ:
Stant faciles, agileſque volant, & robore duro
Vallati, largique animorum, vbi ſuaſerit ira,
Gentis & in morem bellis aptiſſima præbent
Robora; Thrax etenim curſu fera prælia miſcet,
Excurrenſque hyemem telorum vibrat in auram
Belligeram, & volucri crinitum miſſile flamma;
Thrax equus irarum nimìs exin fluctuat æſtu
Inſultans vagus, imperij contemptor, habenæ
Impatiens, ſemperque caput per inania motat,
Neſciat vt, ſua quo firmet veſtigia greſſu.
His ſimiles præfert ſonipes in prælia mores,
Euxinis qui ſtagna bibit temerata pruinis,
Sarmaticaſque niues, Geticique Boriſthenis vndas:
Curſibus aptus equus, bellumque, ſitimque, famemque
Edoctus tolerare diù, glacièque rigentis
Dura meat per terga Iſtri, ſulcataque remis
Frangit ſtagna rotis, & torpentem excitat amnem.
Qualem iàm victor truculenta in prælia flexit
Ladislaus *equum, laxaque immiſit habena*
Thermodoontiacos vbi fulmine perculit hoſtes
Rhiphæas populatus opes, poſuitque trophæum,
Vrſa quod Arctoo iàm nùnc veneratur ab axe.

Æxin

Exin edidicit condi potuiſſe nitorem
Luna ſuum, fugitque nigris damnata tenebris
Sarmaticum primo ſurgentem in limine Solem.
Attamen hic ſolidum ſonipes cogatur in orbem
Artis ope, ac multa plerumquè dometur arena:
Namque ingens animus, naturaque ſæuior illi eſt,
Fracta autèm docto benè reſponſura magiſtro.
Cui neque degeneres vireſque, animoſque probabunt,
Qui Tanain gelidum, rigidamque Propontida potant,
Phaſidos aut vndam, veteri qui vellere diues
Semideos cum magno exciuit Iaſone Reges,
Vt viduata comis Dodona per æquora primùm
Curreret, atque vias Morti reſeraret opertas,
Iungeret & letho, mare quem ſeiunxerat, Orbem.
Aut, qui nigrantem potant Mæotida; quoſque
Diues nutrit Halys; domitrixque Epidaurus equorum,
Roſcida quos rapido perſtringens paſcua ſaltu,
Et procul Ionias iuuat inſpectare procellas.
Quiuè Proſymnæos colles; Nemeæaque longè
Rura colunt, calidæque tenent vmbracula Piſæ;
Lernæoſque horrent latices, nec adire pauentes
Littora adhùc audent veteri damnata veneno:
Aut qui Lariſſam ſonipes, ſæuaſque Mycenas,
Et patrium Stymphalon; Apollineaſque Theramnas
Iactat; & Herculei ſpolijs onerata leonis
Manala, vbi priſcis etiamnùm ſylua laborat
Ponderibus, quæ ſæpe metum venientibus altè

Incuſſit

Incuſſit, pauidaſque feras, volucreſque fugauit,
Panaque nocturna redeuntem exterruit vmbra.
Piſæos hic adhùc ſonipes reſpirat honores,
Abſenteſque fremunt illi ſub pectore metæ.
Vna, eademq; pari ſtant laude armenta Philenes;
Quæque Cleonæi paſcunt iuga celſa Molorchi;
Quæque Helos, & Pteleon; quæque ardua nutrit Ithone;
Quoſque per vmbroſos cernunt Nonacria ſaltus
Rura, fluentem auro quæ iàm riſere Tonantem.
Quos Peneus alit, genero qui penè ſuperbit
(Fert ità fama) Deo, magno qui lumine terras
Ditat, & ardentes moderatur in æthere currus.
Quorum & Ledææ curſu pulſantur Amyclæ,
Quamquàm his maior honos; illæ nam ſæpe dediſſe
Numinibus perhibentur equos: hos fertur apricos
Pullus adhùc primis impleſſe hinnitibus agros
Cyllarus, & primo ſubiiſſe hìc ferrea morſu
Vincula, & ingentes ſpumante rigaſſe palæſtras
Imbre, vbi Cornipedem volucrum præuertere pennas
Caſtor, & effoſſæ inſultare docebat arenæ:
Tales Emathiæ niuibus tranſnare ſolutis
Onochonum, & gelido iuuat æſtiuare ſub Othry,
Aemonij poſtquàm tepuēre cacumina montis,
Antiquoque abeunte gelu ſummittitur ingens
Pelion, & magnos deſcendit Olympus in amnes.
Quiue Oſſam tranant, Centauræumque Lycorman.
Sueuit vbi effrenos Lapithas abſtergere lymphis;

Digitized by Google

Semiuirùm quoties turpati ſanguine ab Oſſa
Flectebant reduces volitantia ſigna cruento.
Quid? quos barbarica ducit de Tigride Parthus
Aſſuetos curſu patrias damnare ſagittas,
Spicula cùm Parthus Thracem molitus in hoſtem
Aeratos Equitum cogit deſcendere montes
In Rhodopen, galeiſque haurit victricibus Hebrum;
Quid? quos Auroræ mittit Nabathæus ab ortu,
Queis Pyrois ſurgens vicinus adhinnit ab vnda.
His paruo magnæ regnant in corpore vires,
Surgit & immenſum tenui de pectore robur,
Exiguoſque fouet feruor generoſior artus:
Nullus enim grauat humor equos, nullumque fatigat
Membrorum pondus, dociles ſed nobile reddit
Ingenium, noruntque ſequi, & parere loquenti;
Et, quamquàm duris pateant vacua ora lupatis,
Frænorum tamen ipſa vicem dant verba magiſtri.
Quos, vbi deficiunt ſterili fera paſcua campo,
Piſcibus ardenti ſiccatos Sole, & iniquo
Perdomitis ſaxo nutrit: neque enim arbor in vllas
Informis frondes, neque ager crinitur in herbas:
Semper anhelat humus, ſemper Sol arua flagellat
Ignibus, & totum ſibi Sirius occupat annum.
Cyniphijſque agitat tales Gætulus in oris,
Ardentique Noto, & ſub Syrte Libyſtide cretos.
Gens etenim nudo reſidet Maſſylia dorſo,
Nec tractat fræna vlla manu, nec ephippia tergo

Præbet

Præbet equi, nulliſque viàm percurrit habenis:
Nàm regitur ſonipes, virgæque laborat ad vmbram,
Diſſonaque inflectit varios ad murmura curſus:
Læua petit, ſi læua iubet, ſi dextera mandat,
Dextera adit, ſi recta, mouet veſtigia recto
Tramite, vt alipedes animatos mente iubentis
Eſſe putes, nec ſenſa, animoſque deëſſe paratos.
Nec diſpar fortaſſis equos alit ora Canopi,
Vndantiſque lauat fœcunda licentia Nili.
Quiue bibunt Xanthi lymphas (vnde acer Vlyſſes
Threicios auertit equos, vetuitque perempto
Cornipedum Dominò latices potaſſe fluentes,
Sic Phœbi cortina, & Troiæ fata ferebant)
Idæoſque ſinus, Cybelæaque culmina vaſtant,
Hinnituſque ſuos miſcent vlulatibus vltrò,
Quos Corybas fundit Cybeles bacchatus ad aras,
Cùmque implent ſonitu reboantia Dyndima Galli:
Per lucos cùm ſiſtra crepant; & tympana fundunt
Murmur, & inſana lymphantur ad Orgia buxi.
Sed rigidis media in niuibus glacialis Hyberne
Quos parit, & pariens vicina exponit in alga;
Quoſque Caledonio dat cincta Britannia ſaltu,
Ocyùs incedunt, neque greſſum attollere norunt;
Nàm leui ſemper ponunt veſtigia campo,
Abſque luto quem ſternit hyems, & roborat annus:
Sed fortes terra, aſſuetóſque laboribus altè
Durat, & in ſummis exercet inhoſpita ſaxis.

Sunt quos dat fortes grauior Germania pullos;
Hos, tarda licet, & magna ſe mole ferentes,
Pondus ad amorum miles Mauortius aptat,
Nempe ſub ingenti iuuat inſudare Gradiuo.
At, quos trans vmbram nemorum fera Dacia paſcit,
Hi geſtant equitem ſeptem regnata Trioni
Per loca, nec ſtudium poſcunt à milite ſueti
Sylueſtres habitare ſinus, victuq; ferino
Degere, & hinnitu montes implere ſonanti.
His, quoniàm nullo campos cuſtode pererrant,
Nulla probat certos, cùm temporis egerit vſus,
Admiſſura Patres, genitrix neque certa feretur:
At, cùm ſæpè inter quæratur equilia pullus,
In trabibus cratem intextam pelluntur, in arctum
Quà ſeſe ſpatium paulùm compellat, ibique
Verberibus ſtimulant varijs, & voce feroces
Cornipedes, donec pullus perterritus illud
Seſe agat in ſpatium, & ſtricto ſua corpora clauſtro
Contineat, nexu tunc occurrente lupatum
Inijciunt celeres, & nexibus ora coërcent.
Verùm hæc, quod rigidas errant armenta per oras,
Sæua quidèm, nec dura minùs: ſed fortia ſurgunt,
Quippe ingens natura ſubeſt; tamen aſpera ſi quis
Excolat, & frænis cogat parere ſubactis,
Exuerint ſylueſtrem animum, cultumque palæſtra,
In quodcunque voces ſtudium, haud ignaua ſequentur.
Eſt, qui dura tenet Ducibus famulata vetuſtis

Saxa

Saxa Liburnorum, & fontes potare Timaui
Sæpe ſolet, fluuius vaſto quà murmure montis
Intumet, & campos ſpumantibus occupat vndis.
Robore hic ingenti ſonipes vallatur, & omnem
Exantlat rigido duratum Marte laborem:
Sed tamen immanes nimiùm exardeſcit in iras.
Ni benè doctus eques compreſſum in puluere frangat
Luctantem fræno, vt rabiem dediſcat iniquam,
Induat, & mites animos, & corda ſeueras
Torqueat in leges, facileſque admittat habenas.
Fama fuit Mynias ſuperaſſe binominis Iſtri
Oſtia, & aduerſum ſulcanti remige flumen
Sollicitaſſe rate, & montes intraſſe Liburnos,
Magnus vbi in cunis hyemes immanè nouenas
Sorbet, & Illyrij procul obruit arua Timauus.
Hìc autem, vt curſum montes arctaſſe liquentem
Edidicit Tiphys proram direxit in agros,
Et Dodonæa ſubnexuit arbore vela
Candida vicinis aſſignans carbaſa ripis.
Tum Pubes Argiua quatit noua littora ſaltu
Ilicet, & paulùm reſpirat cærulus amnis.
Miratur Paſtor, patrijs qui plurimus errat
Montibus, aut ducit latos armenta per agros,
Aut trabibus ſummota lupis, & crate ſaligna
Circuit, & texto ſeruans compellit bibiſco:
Siue rudem tenui meditatus arundine Muſam
Formoſas reſonare ſuas docet otia ſyluas.

Qui

Digitized by Google

Qui ſimul armorum tranſmittere lumina campos
Conſpexit, timuit, fugitque; ſed omina pacis
Argiuûm poſtquam Pubes oſtentat oliuæ
Ramum, ille accelerat, certatimque ordine nautis
Accurrit Graijs; vltroque mapalia præbet,
Et tenues epulas, menſaſque intrare minores
Inuitat, ſomnóſque leues, noctéſque quietas
Promittitque dies, & læti ſæcula Veris.
Hæc, ait, hauſerunt Diui bona munera vitæ
Diuite contenti campo, libuitque tueri
Hìc ſine nube dies, atque hìc ſine turbine noctes.
Quà, niſi camporum, ſpes nulla, nec vlla remordet
Cura animum, lætam tranquillant omnia mentem.
Excubet ad poſtes alius, Regumque per oſtrum,
Perque altas ſpatietur opes, inhietque ſuperbus
Quæſitis multo dapibus diſcrimine, & audax
Deuoret ~~& pompas, hominumque pericula~~ canet,
Interdùm & vitas, atque aurea pocula potet
Pallida non tàm auro, quàm pallida ſepè veneno,
Hìc libeat caræ tantùm ſeruire iuuencæ,
Quæ geminos ſyluis vitulos tegat inclita mater,
Et mihi bina die quoque præbeat vbera lactis.
Quid ductos nudis riuos in pocula palmis
Commemorem, puraque argentea munera lymphæ
Non vllo vitiata dolo, cùm prodiga tellus
Præbet, & in liquidas ſe mons euiſcerat vndas?
O placeant tandem viridantia regna, bonique

Ruris

Digitized by Google

Ruris opes àmplæ; quà purpurat Euyhus vuis,
Felicis quà gaza ſoli, quà Lesbia ramis
Gemma tumet, Cereriſque venit de ſemine merces.
Hinc contemnite opes, & dignos vos quoque Diuis
Fingite, & exiguis Paſtorum aſſueſcite menſis.
Hæc vbi dicta dedit ſenior de margine Paſtor,
Quiſque propinquantes extremo à flumine nautas
Excipit: Hic magnum Telamona, & Iaſona ducit,
Alter habet Boreæ fætus, & Abante creatum;
Oebalios alter Fratres inuitat, inaurant
Queis gemina aſtra comas, & lambunt tempora; at alter
Euridamanta petit, Mopſumque, Amphiona, & Idam:
Ille Periclymenon, Tiphymque; hic Theſea magnum
Nuper ab aſſerto ſpolijs Marathone micantem;
Iſmarioſque vocat geminos, generumque profundi
Nereos: hic Meleagron habet, cui terga recuruat
Monſtriferæ Calydonis honor, ſetaſque rigentes
Agmen Menaliæ grauat exitiale pharetræ.
Hic vocat & Rhodope ſimilem nihil Orphea duræ
Iphiton, Admetonque alter: quiſque hoſpite magno
Gaudet, & ignoto clariſſima nomine natis
Ruſticus oſtendit genitor poſcentibus ora.
Tertia ſed poſtquàm ſtellas Aurora fugauit.
Ipſa moras odit ratis, & rate celſus Iaſon
Appellat ſocios, humeriſque imponere pinum
Cogit, vt Adriacis Argon traſmitteret vndis.
Mirantur montes per ſumma cacumina puppim

Ire:

Ire: parùmne ſalum ærata diſrumpere prora
Credidit humanum genus, & iuga maxima montis
Nauigat? in pelagus iuſſit deſcendere ſyluas,
Et celſos docuit ſcopulos nunc ſcandere montes?
Sed memor hoſpitij tanto pro munere munus
Mox reddit Medæa ſuum, & Paſtoribus addit;
Scilicet illa lacum, fontemque, vbi Cyllarus vndam
Potarat, fertur celebri fucaſſe veneno,
Vt, quot eo latices biberent de fonte liquentes,
Cyllaro equi hi ſimiles traherent de fonte decorem.
Sunt qui Sardois in montibus aſpera pulſant
Culmina, vel qui te potant Alphee Sicanos
Aduena per fluctus tanto indefeſſe profundo;
Seu quos tarda vado nutrit Camarina refuſo,
Magnanimùmque Agragas dudùm generator equorum;
Seu celeri mistus Cyane quos nutrit Anapis:
Ignipotens patrijs hos imbuit Aetna fauillis
Flammarum fœtus, oculis queis plurimus ardens,
Atque animo it genitor, quem ſpirant naribus ignem:
Hos, niſi parua nimis neglectos corpora reddunt,
Eximij ſatis ipſe probat progreſſus honoris.
Sed dociles nimiùm, & fræno parere ſuëtos
Flectit Iberus equos, volucrum quæ germina lauit
Aurarum Tagus, innumeris quos curſibus arua
Implere, & patrios iuuat vſque laceſſere ventos:
Tardiùs incedunt; in equo vel Ibera probatur
Maieſtas, ſed genua grauans, ſat liberat armos,
Diſſol-

Diſſoluitque toros, & mollia crura reponit:
At ſi fortis eques laxat lora, ilicet illum
Sentiet alipedum volucri de ſtirpe creatum
Aurarum, & curſu non degenerare paterno:
Mox currentis equi Dominus ſi fortè furorem
Colligit in frænum, & vexantem gramina greſſu
Comprimit imperio; citò poſteriora reponit
Crura aluum ſubtèr, geminaq; in clune recumbit,
Et longo abruptas tractu deſignat arenas.
Sed ſi quando iuuat belli ſimulacra recentis
Condere, concurruntq; equites, & amica furentum
Exercent irarum odia: aut in puluere Ibero
Pertentare libet lunati robora taurum
Armenti, rabidùm ſæua cum ſemina pugnæ
Prima dedit feriens reſonantem cornibus auram;
Tunc bellator equus taurum imperterritus vrget,
Donec eques feriat, celer hinc ſe ſubtrahit hoſti,
Illius vt venientem exhauriat aura furorem.
At verè in campum ſi vnquàm ruat agmen apertum,
Ferratumq; ferox quatiat Bellona flagellum,
Hoſtiles quàmuis ictus equus hauſit iniquos
Aut haſtæ, aut enſis, perfuſaq; pectora pugnæ
Tempeſtate videt (virtus nam laſſa tumeſcit,
Flamma velut lychni moritura micantiùs ardet;
Maioremq; vouit iam defectura nitorem.)
Quamquàm percuſſus feriat præcordia ſanguis;
Et trahat immani ſecum ſua viſcera ſulco,

C *Currit*

Currit adhùc, donèc Dominum amouiſſe periclo
Sit ſatis, & vacua iam tum procumbit arena,
Sanguineaq; premit ſaturatum aſpergine campum.
Seu magis eſt animis ſimulato Marte palęſtræ
Ludus arundineæ populis mirantibus audax,
Aptior haud vllus referet tibi præmia palmæ
Tunc equus, & certo portabit vulnera curſu.
Ille fero de Marte calens ingentia latis
Arua rapit ſpatijs, fluuioſq; innare cruoris
Optat, & effoſsis plantas immergere truncis.
Nunc age, quæ tumidas rapidi propè flumen Iberi
Vis fœcundet equas; & quæ labantur ab aura
Semina? vos doctæ noſſe indulgete Sorores.
Pelias intacti poſtquàm leuis hoſpita ponti
Pinus ab Æëta Graias remeauit ad oras
Diues, & æquorei radians in vellere Phrixi,
Iuppiter Iſmarios, Aquilonia pignora, Fratres
Per populos errare iubet, tectiſq; Parentum
Eiectos patrio vetuit ſuccedere Cœlo;
Nempe ſuas quondàm à Phinei tellure fugarant
Aligeras duro pulſas Stymphalidas arcu,
Expulſaſq; feras malè damnauere volucres,
Aſper vbi Ambracias Achelous Echinadas vrget.
Hinc & Hyperboream Zethes diuertit ad Arcton
Exul, & ignotas ſcrutatur naufragus vndas,
Riphæo donec tenuit regnata Parenti
Arua, Lycaoniumq; ſolum, Tanaimq; niualem,
Illum

Illum vbi mox Genitor migrare coëgit in auram.
At Tarteſsiacam Calais deuectus in oram
Auriferi per regna Tagi, per & auia Betis
Littora, vbi tardo propellit flumine Gades,
Errat, agitq; graues montana per aſpera caſus.
Tempus erat, ſummo quo Titan fulminat ignes
Axe via medios permenſus lampade gyros,
Cùm Iuuenem ſomnus poſt tot ſpatia æquoris alti,
Calcataſq; vias cornu perfuderat omni
Propter ſtagna Tagi patulæ ſub tegmine quercus;
Quà canibus comitata ſuis Hippona ſolebat
(Hæc erat orta Tago, Nymphaq; ab Iberide proles)
Heſperios denſa complere indagine colles
Terrificis metuenda feris, cùm frena moloſſis
Laxat, & imbelles animatas cæde ferarum
Sæpe inhiat temerare manus, quam ſponte repoſcunt
Tela feræ, caroq; Leo ſub vulnere gaudens
Admittit dulci iàm morte ſuperbior haſtam.
Olli prima dies in gurgite luxit amico,
Nataliſq; latex patrio cunabula in auro
Præbuit; illa vndantem, vtroq; è margine Patrem
Tranſit ſæpe ſuum, & fluctus veſtigia firmat
Conſolidata gradu, nullamq; dedere volenti
Stagna moram, ſemper tenuerunt flumina greſſum.
Emicat & viſu pulcherrima, plurimus illi
Aurifer it de crine Pater, leuiterq; redundat
In ceruicis ebur; niueo ſed purpura vultu

Digitized by Google

Flammatur, vinci metuens albeſcere credas
Oſtrum; atq; aduerſo ſuperante ferociùs oſtro
Deuictas rubuiſſe niues: at lumine Phœbus
Ardet de gemino; & geminos dant lumina Soles
Terga latent pharetris, & veſtis diffluit alba
Poplite fuſa tenus; mediam caſtigat iaſpis,
Et gemino criſpat, morſuq; coërcet eodem.
Candida ſic luſtrat Phœbi Soror aſpera Cynthi
Culmina, & ora magis multo ſibi Fratre colorat.
Venerat hæc, dulces vbi proximus ales in vmbra
Quæſitos Calais captabat frigore ſomnos,
Et vidit, riguitq; & iàm veſtigia torquet;
At ſubito reuocat greſſus, & libera motu
Pectora pulſa nouo ſenſit; tacitiſq; pererrat
Luminibus Iuuenem, ſed Amor tunc liberat arcum,
Vnde flagret, ſitienſq; nouum bibat oſsibus ignem.
Senſit & illa faces, & iàm placuere fauilla,
(Tantùm oculi fax clauſa valet) propiorq; reſedit,
Namq; audere docet viuax Amor: at leuis aures
Tunc Iuuenis rumor tetigit, ſtrepituq; fugatum
Extremum gemino deterſit pollice ſomnum;
Miratuſq; Deam (ſic illam credere mens eſt)
Diua potens, inquit, diua quam vultus, honorq;
Mortali de ſtirpe negant, generiſq; ſuperni
Magna per immenſum clareſcunt ſigna decorem;
Vel Phœbi ſoror es, vel Virgo ſimillima Phœbe:
Dic, quibus in terris, iactor, quibus exul in oris

Gen-

Gentiſq; ignaruſq; loci? quæ frondea cerno
Culmina, montanumq; iugum? quis voluitur amnis
Prata per, & duplices vrgentia littora campos?
Nam tibi, ſi tenues non dedignaberis aras
Exulis, & meritos reddam fortaſsis honores.
Illa refert. Hos redde Ioui, nemorumq: Dianæ
Custodi: Hiſpanas modò nàm ſuccedis in oras,
Inq; mea, at tacitè, ſuccedis pectora, dixit.
Hic Tagus auriſluas hyemes deuoluit in æquor,
Ipſe mihi pater, & nitidæ cunabula ripæ.
At pharetram Heſperijs mos eſt geſtare puellis,
Quæ ſaltus viduare feris, prædaque potiri
Sæpè ſolent ſuetæ nemorum non cedere Diuæ:
Hinc & Parrhaſia velamina ferre Dianæ,
Virgineoq; iuuat ſuras vincire cothurno.
Sed tu quis tandem? quæ nam data fata ſecutum
Has egere vias? quibus hùc ades aduena terris?
Hùc ego, Dij voluère, mea de ſede profectus,
Olim vbi cælauit patrios Iliſſus amores,
Mænia Athenarum iuſſus, Meſſeniaq; arua
Deſerui, ſceptro, patrijſq; Penatibus arcet
Me Deus, & veſtros in fines Iuppiter egit.
Sed piget vnde mihi genus, aut quis deſluat ordo
Sanguinis, & nimiùm diuertit cura fateri.
Quis Boreæ raptus, & coniugium Orithyæ,
Aut Pandionia trahat hùc ab origine gentem?
Hæc Iuuenis, ſenſimq; tremor per pectora ſerpit
Nec

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nec latet hauſtus amor, ſed clauſo è pectore flamma
In vultus, inq. ora redit, ſeſeq; fatetur.
Alternatq; animum, & dubij confinia mutat
Pectoris, atq; ex ore in corda reflectitur ardor.
Iamq; dies vario in noctem ſermone ruebat,
Stridoremq; rotæ, curruq; cadente fragorem
Audierant, fluctus nam Sol repetebat Iberos.
Iamq; pares animis, pariliſq; ardoribus ambo
Conſtiterant: volitabat Hymen, molliſq; ſupinos
Strauerat herba thoros: aſt inuidere Sorores
Delicias nigræ, voluitq; abrumpere fila
Atropos, at longùm ſors hos ſeruauit amores.
Nàm pater abrupto reſidens Tagus aureus antro
Paſcitur vnde Iris, pluuias vbi nubila potant,
Vt procul inſuetum, quamquam fremit ipſe, loquentum
Accepit Iuuenum murmur, ſuſtollit in auras
Colla, grauemq; auro crinem, natamq; virili
Cernit in amplexu, doluitq; caputq; reclinat,
Auertitq; oculos, liquidiſq; immergitur vndis:
At rediere Patri ſub aquis iræq; minæq;
Irarum velùt hauſiſſet de fontibus ignem;
Vlciſciq; iuuat, rurſumq; emergit in auras
Quantùm vndis, ingens animis, tumidoq; remugit
Gurgite, & vndanti idm cornua concutit auro,
Iraturq; ſibi, non poſſe in damna nocentum
Sæuiùs iraſci, maioriq; ingemit ira.
Altiùs haud, Marte horrendùm bellante, ſuperbit

San-

Sanguinea grauis Hebrus aqua: neq; ita efferus vrget
Thermodon campos malè clauſus ab aggere ripæ,
Virginea poſtquàm Tanain fregere ſecuri,
Et Scythicam latè populantur Amazones Arcton.
Iàmq; olli Bætis denſum auxiliaribus agmen
Armat aquis; iàm mittit Anas montana furenti
Auxilia; antiquaſq; niues iàm Duria præbet.
Iàmq; per obſtantes generoſo murmure ripas
Voluitur, & iuuenes medios in flumine cingit
Vndiq; tempeſtas, fluctuſq; attollitur ingens,
Quantus vbi pronam demittit Aquarius vrnam,
Quantus & in Cælum ſurgens Neptunus ab axe
Auulſum madidis impingit Oriona terris.
Miratur Calais tantæ quare omnibus iræ,
Luctaturq; vndis, tumidumq; enauigat amnem
Remigio alarum. At Boreas pater ilicèt illum
In nomen tranſire ſuum iubet, ocyus auram
Soluitur in tenuem, ſeſeq; in nubila purgat,
Et Calai ex illo nil, ni ſuſpiria reſtant,
Quiq; modo Hippona complebat lumina, tantùm
Nunc crines, atq; ora replet, flatuq; ſoluto
Cum ſpirat, modò Nympha ſuum reſpirat amantem,
Aëre qui ſeſe commiſcuit; illa volantem
Triſtè vocat Calaim, at Calais fert verba vocatus.
Iam lymphas rogat illa virum, iam flumina queſtu,
Vt reddant, poſcit, quæritq; hinc inde reuoluens
Lumina, campoſq; & mutas interrogat auras:

Senſit

Senſit at in ventum Calaim effluxiſſe volucrem
(Sic vaneſcit Amor, ſubitas ſic expedit alas)
Indoluitq; iramq; optat deponere Patrem:
Ille ſed æquoreis præcordia cautibus armat,
Exutuſq; patrem totum mente induit alta.
Caucaſon, affatus neq; molliùs audit amatæ,
Quàm formidati rabies maleſana profundi
Ionio in magno curat geminata precantum
Vota virùm: Patris tumet acriùs ira rogando
Vt creſcunt validis Ætnæa incendia ventis,
Flammaq; porrecto diſcriminat æthera tractu.
At dolor interea Diuos ſat tangit amantum,
Hipponamq; Venus diſtendere brachia cogit,
Dat ſpatium collo, & collo decora alta iubarum
Addit, & in duros enodat tempora crines,
Extenditq; genas, vultumq; & acuminat aures:
Fit ſonipes, tentatq; vadum, ſeſeq; natatu
Eripit à Patre, & campo ſpatiatur aperto.
Sic ergo infelix erras Hippona per agros,
Heſperios agros, vndantiaq; arua parente.
Te nemus Aſturiæ, vitreaq; te Iberus in vnda,
Te nemorum fleuere ſinus, vlulataq; ſæuis
Antra lupis, luxitq; ſuas Hiſpania pompas.
Interea in ripis viridantia adhinnit amanti
Per loca, & ora ferens in ventos verſa maritos
Exceptat liquidas auras, Zephyriq; volantis
Semina, qui Nymphæ memor in ſuſpiria mollis

Soluitur,

Soluitur, atq; ſuum ſpirans ſibi ventilat ignem,
Atq; illam inſequitur celer, & fœcundat in aruis
Alipedem in fœtum, qui multùm in gramine curſus
Aligero de patre ferat, de matre decoris.
E tot fortè manet ſi te delectus equorum
Stirpibus, armento è medio meliora recenſe
Corpora, vbi magnæ ſint nomina Gentis inuſta,
Magnanimiq; characteres, & certa notarum
Signa, quibus ſtirps, & primæua ab origine ſeſe
Pandit honor, natiſq; patrum deſpondet honores.
Ipſe autem pecoris generoſi pullus apricos
Hinnitu mulcet colles, lætuſq; iuuenta
Tundit inaceſſos ſaltu ſæpe improbus agros.
Primus inire vias, ſeſeq; paludibus audax
Geſtit, & ignoto primus ſe credere fundo.
Non illum quatiunt ſtrepitus, neq; ſæua tubarum
Murmura: ſed rauco gemuère vt claſsica ſigno
Audaces regnant artus, latèq; ſuperbit
Vndantis ceruicis honor, per colla, per armos
Decidua ludente iuba, rapiduſq; minatur
Hortantes anteire tubas, campiq; cruenta
Tempeſtate frui: olli ſpiritus ardeat ingens,
Ille caput ſublime ferat, frontemq; ſub altam
Producat, paruaq; caput ceruice probetur,
Cinyphij quales ſurgunt ceruicibus Hirci:
Grandiaq; ardenti ſcintillent lumina flamma,
Haud hirſuta nimis cilia obnubentia lumen,

Et leporis pulchras in morem dirigat aures:
Ora alto pateant tractu diſciſſa genarum,
Et largo ignitæ reſonent ſpiramine nares;
Nempe laborantis perrumpet anhelitus oris
Sic melius, ſi ſub docto ſudare magiſtro
Par erit, aut curſu Zephyro certare volanti,
Turgida ne clauſi ſuſpendant ilia flatus.
At breuis aluus erit, læuem pulchrè ilia ventrem
Caſtigent, pectuſq; toris aſſurgat, & ingens
Vngula, pulſa graui gemat vt ſub robore tellus:
Sed nec tu duram, nimio nam frangitur æſtu,
Nec teneram laudes, nimio nam ſcinditur vſu:
Duplex per lumbos decurrat ſpina nitentes;
Sint latæ clunes, è clunibus effluat omnes
Perfundens ſuras cauda, & veſtigia lambens.
Talis Amyclæa quadrupes frænatus habena
Emicuit, cui ſæpe cibum, potumq; dedere
Taygetiq; cacumen, Oliuiferiq; Eurotæ
Flumina, cùm patrias Caſtor repetebat Amyclas.
Fulmineum talis dudum geſtauit Achillem
Laomedontiadem calcans quondam Hectora Xanthus
Raptatum bigis, ſordeſcentemq; cruento
Puluere, & exangues laniatum immaniter artus.
Talis & æthereos auſus percurrere nimbos
Pegaſus Aoniam celeri rupit pede rupem,
Excuſsitq; perennem vndam, & libamina Vatum.
Et Pyrois roſeo talis per inane domatur

Luci-

Lucifero, nitidis noctem qui calcibus atram
Arcet, & à toto deturbat ſidera Cœlo;
Inſultanſq; Polo ſaltu geminare fragorem
Gaudet, vt ad ſonitum Eoas excita feneſtras
Rorantes Aurora petat diſcincta capillos.
Sed caue, ne Pulli duo lumina circulus vmbret
Inferior; rarò licèt hic ſe in lumine prodat,
Semper equo vitium mentis, Lunæq; regreſſum
Arguit: inſanus furor hinc, vbi Luna nitorem
A Phœbo repetit: ſæpe obluctatus habenæ
Ille fugit; ſimul arua fuga, ſimul efferus amnes
Perſtringit, curſuq; vias, monteſq; refringit,
Atq; agitur præceps, inq; omnia fertur, & omnem
Ingenti rapidus ſuſtollit puluere campum.
Si tamen, aut nitido nigreſcit tergore Pullus,
Aut ferrugineo nimis offuſcatur amictu,
Selige, cui pulchrè frons ſidere candicat albo,
Lauaq; candenti pariter nitet vngula villo.
At ſi noſſe iuuat, doceat qui notus equorum
Sæpe color vires, formamq; animiq; decorem,
Diſce, Aganippæis modò fama receſsibus exit.
Cærulei quondam Rector, Domitorq; profundi
Crudeles gelidis in aquis exarſit in iras
Armiſonam contra torquentem Pallada ferrum,
Nata licet Iouis, & decus, ingeniumq; Parentis
Illa foret, cui toruam animat furialè Chimæram
Caſſis, & anguicomo Gorgon crudeſcit hiatu

In clypeo, & centum vibrat de crinibus ora:
Æquoreo renuente Deo quòd nomen Athenis
Indiderat Pallas, propriaſq; locauerat Arces.
Iamq; ſedet cordi, bellum importare Mineruæ,
Seu Pandionio de vertice Regna reuiſit
Cecropidum, ſiue in choreis pede pulſat Ithomen,
Aonias vbi ritè faces, vigileſq; per aras
Cernit longæuis ſeruatum Vatibus ignem;
Seu magis illa arridet in Actæo Aracyntho
Vati montanas animanti ad carmina cautes;
Seu mage Virgineum repetit Tritona, comaſq;
In Libycis abſtergit aquis, poſitaq; parumper
Caſſide molle comæ niueo diſcriminat aurum
Pectine, & effuſo Solem mentitur in auro.
Hinc Deus æquoreæ moderator cærulus vndæ
Protinus Ionia armiſonos produxit in alga
Cornipedes, illoſq; cientem ex æquore Diuum
Bis prima veniens luſtrauit lampade Phœbus;
Biſq; repercuſſas ſtupuit fugitiuus in vndas.
Cernere erat gelidas inſudatum arte laborem
Inter aquas: coëunt fœcundi in germina fluctus,
Et feruent ſpumæ parituræ, animantq; recenti
Stagna puërperio, perturbatumq; feroci
Perſonat hinnitu ſæuùm mare, pulſaq; mugit
Terra, ſuaſq; hyemes proles generoſa, ſuoſq;
Attollit fluctus, & rumpit pectore Nereum,
Spumiferoſq; mouet gradiens per cærula greſſus,

Omnia

Omnia ſed liquido pereunt veſtigia ponto.
Hinc quot naſcentes Sol explorauit in vndis
Multùm illi de luce trahunt, niueoq; notantur
Candore, at villis ſonipes obnubitur atris,
Qui tunc in nigrantem emerſit ab æquore noctem:
Quem tamen emeritæ videre crepuſcula lucis,
Ille notas maculis internigrantibus albas
Miſcet, & in villis noctemq; diemq; figurat.
E tribus his fluxit generi color omnis equorum,
Et Spadix, Glaucuſq; rotaq; interlitus atra
Albus, & à Mauri, qui nunc traxere capillo
Nomen, at hos inter minor eſt præſtantia Gilui:
Sed fuſco ſonipes præfert qui tergora villo
Squalidus, vt tenui ſordet rubigine ferrum,
Atq; aliјs itidem maculas interſerit albas,
Aſper equus nimiùm, ſemperq; laboribus audax
Durat, & infractas in prælia ſuſcitat iras:
At quibus aurato flaueſcunt terga colore,
Flammiſq; exardent auro rutilantibus armi:
His, vti pulchra magis, ſic ſunt minus apta duello
Corpora, nec magno pertentant robore pugnam,
Nec ſibi præreptos pugnæ indignantur honores:
Quod verò alipedes olim ſacra flamma rubentes
Signauit, ſors hos ſupera de ſtirpe colorat.
Cùm Phaëton quondàm temerè Patris induit audax
Aurigantem in fræna manum, voluitq; per ipſum
Progeniem clarere diem, terriſq; ſuperbus

Cre-

Digitized by Google

Credidit æthereum ceſſat dum Phœbus ab ore
Mortali ſpirare iubar, flammantia tractans
Lora, & anhelantes impellens verbere crebro
Solis equos: illi ignauum vt ſenſere flagellum
Aurigam fugiunt, & non cohibente magiſtro
Protinùs in gyros latè ſparguntur, & errant,
Erectiq; ruunt rapidè, & luctantur in iras,
Nolenteſq; teri Zonas, alienaq; curſu
Lymphato conuexa petunt, flexoq; pererrant
Tramite, vt inſolitis agitata ardoribus Vrſa,
Quà ſe Riphæas attollit mundus in arces
Perpetuæ diffiſa hyemi, licet inſcia mergi,
Euaſura malum rapido petat æquora curſu,
Quam ſegnem increpitans ſtimulo rutilante Bootes
Inſequitur, celeremq; celer rotat axe per axem.
Iamq; Puer non fræna regit, ſed caſibus artem
Proÿcit excuſſam, nitidumq; amplectitur axem:
Solis at ardentis ne lumine Terra propinquo
Decidat in flammas, perimantq; incendia gentes,
Audacem Iuuenem toto Ioue fulmen adactum
Corripuit, tetigit paulùm ſed flamma iugales,
Velleraq; exuſſit, combuſtaq; vellera equorum
Signarunt, & equis fecerunt nomina flammæ.
Ex his in terram furto mox lapſa propago eſt,
Cùm genus exoptans Eoo ſedula Circe
Suppoſuiſſet equam, Admeti dum Pœbus in aruis
Æthereas baculo famulus permutat habenas,

Aſſuetuſq; rotis calcare nitentibus æthram
Proſcindit durum raſtris ſtridentibus aruum,
Hac ego progenitum ſtupui de ſtirpe ferocem
Cornipedem campos fremitu exercere Latinos,
Qui gaudet ſub lege libens parere lupato
Frangipane *tuo, & docili inſudare paleſtra.*
Olli puniceos ardor circumfluit artus,
Et florent armi phaleris, pronuſq; iubarum
Error, & expanſi perfuſa licentia crinis
Colla, armoſq; tenet; nitida face lumina ſurgunt;
Ora ſonant morſu, & ſpumoſa aſpergine ferrum
Vritur: ipſe autem tardat veſtigia greſſu,
Suſpenditq; gradum, plauſumq; expectat eundo,
Agnoſcitq, ſuas, implet dum lumina, pompas.
Reſpirant infra colles, & quaſſus amicos
Campus amat pulſus, & reſpondere gementi
Gaudet humus, ſimilemq; ſono geminare recurſum.
At tibi vel Spadix, vel, quem rota plurima pingit,
Albus erit curæ, trahit hic ab vtroq; decorem;
Namq; niger pulchrè per fræna ſuperbit in iras;
Sed nimias vel ſemper habet de noctibus vmbras,
(Nox etenim vmbras iniecit natalis inanes)
Vel ſeſſorem audax ſæpe indignatur, & hæret:
At niueus paruo langueſcit robore ſegnis;
Ingratumq; trahit Domino impellente laborem;
Sed docilis nimium, patienſq; iubentis habena,
Flectitur, haud vinclis famulus, nullaq; lupati

Liber-

Libertate ferox; ſed ſub ditione moratur,
Vdaq; tranquillo lambit retinacula morſu:
Ille autem graditur medius, niueumq; nigrumq;
Sicut pelle refert, decora vtriuſq; maritat.
Talis flammiuomus mordet tua frena Superbus,
Imperioq; tua gaudet ſudare, Marine.
Illum præclara Galiardum ab ſtirpe creatum
Nuper fœcundo miſit tibi Daunia campo,
Daunia diues opum, & ſtudio celeberrima equorum,
Qui poſſint ſpumoſa leues per cærula ponti
Ferre viam, ſummos vt neſciat vngula fluctus.
Talem Serlupi, *tenero tu ſæpe lupato*
Lædis, & ille iubas, maculoſaq; terga reclinat
Nigris clara notis, rotuliſq; interlita crebris
Mitior, hinnitu Circumq; laceſſit, & auras;
Pullorum ſic diſce genus: ſic fortè probabis
Progreſſum, ſemperq; cui venientis honorem.
Nec, mihi ſit cura ductare ad paſcua pullos,
Dicere nec læto ſerpentia gramina campo;
Nec quæ naſcentes deceat cuſtodia fœtus:
Quò fœtæ ducantur equæ: ſi nare ſolutis
Amnibus, & nudo liceat decumbere Cœlo:
Si Borean, pluuiaſq; pati: ſi lumina Cancri,
Sæua Cleonæi quamuìs iuba fulguret Aſtri:
Nec quo lethiferæ tandem medicamine peſtes
Pulſentur, poſitis cùm ſegniter artubus afflat
Victor equus pugnantem animam, longoq; fatigat
Ilia

Ilia ſingultu, & terram pede pulſat inerti.
Hæc Mantous Olor Sirenum in littore quondam
Concinuit, ſæcloq; ex illo in ſæcula dignos
Conſule fecit agros, & dignas Cæſare Syluas.
At pullus tantùm limes mihi carminis eſto,
Quartus vbi vernum nitidus laxauerit annum
Phœbus, & indutos Zephyris vbi longiùs albos
Egerit ire dies; etenim tunc vbera linquet
Matris, & incomptis tunc induet ora capiſtris,
Et legem, dominumq; pati tunc diſcet: at illum
Impellat paulùm, frangatq; magiſter, & herbæ
Præbeat illecebras, ac dorſo pondus arenæ
Imponat primùm: aſt vbi libera terga ferendo
Seruitio aſſuerint, maiori pondere preſſet
Illum Equiſo, & greſſus benè ſuccuſſare recentes
Edoceat: niſi equus de ſtirpe gradarius eſſet;
Nam tunc per campos permittat abire volutim,
Argutum vt tollat caput, immotumq; ſuoſq;
Alternis greſſus de cruribus explicet altos,
Vt leuis alipedis premat ocyùs vngula campum.
Id voluiſſe ſatis ſit: namq; ignarus eundi
Sæpiùs hærebit tener inter gramina pullus,
Atq; omnem in ſextum virtutem transferet annum.
Tunc autem campum cornu pulſare ſonanti;
Atq; doce greſſum, & gyro propiore coërce.
Sic benè per terras interlabentibus annis
Te BARBERINÆ; *Puer ò, decus addite Genti,*

E CA-

CAROLE, *virtutum, & magni modo nominis Hæres,*
Euehet acer Equus ſuccenſum Martis amore,
Lætus &, ingentem tardant ſi flumina curſum,
Fumabit rapido propellens Strymona flatu,
Cum Thracas, Geticoſq; premes: ſeu victor iniqui
Debellata vehes tecum incunabula Solis;
Ille iubar paſſus roſeo non cedet Eoo,
Et nitidum elatis efflabit naribus ignem.
Martem at, in Inſubres quem Styx nunc euomit oras,
Auerſare nimis, Gallus quà Lilia ſeuit
Alpibus in gelidis, Aquiliſq; animatur Iberis
Aura, & anhelanti flammarum abſciſſa laborat
Imbre, Paduſq; mari geminat ferale tributum
Sanguinea tumefactus aqua, fugiuntq; tumentem
Oceanuſq; Thetiſq; & nauifraga Amphitrite.
Quid referam Stygijs per agros bacchata venenis
Agmina, tabificiq; nimis contagia morbi?
Cernis, vt atra lues miſeros depaſcitur artus,
Atq; oculos hominum vicina in morte natantes?
Sæpè virum ſequitur coniux diſcincta capillos,
Atq; virum complexa ſuum deflenda ſub ipſo
Deficit officio, nati quoq; flebilis ora
Compoſitura Parens extincti, lumina mergit
Ipſa ſub æterna nunquam vigilantia nocte;
Procumbunt & ſæpè pares, operamq; viciſſim
Quiſq; locat, moriens morienti extrema rependit
Munera, & alterna claudunt ſua lumina dextra;

Lan-

Digitized by Google

Langueſcitq; manus dum fortè medetur eodem
Iſta miniſterio, trahit & de funere funus.
Quis vomit in populos Styga? quæ feralis Enyo
Bella vehit, monſtriſq; addit noua monſtra cruentis?
Exulet heu Mauors, Apenniniq; timorem
Torqueat in Rhodopen, Rhodopen populata ſuperbam
Arma ferent rigido melius de Thrace triumphum.
Magne Puer tu Regna petas, vbi ſæua tenebras
Spargit Luna ſuas, Chriſtiq; repoſce ſepulcrum,
Et totam magno Thracen damnare triumpho
Te iuuet, vt pronam Latijs ceruice catenis
Oſcula figat Arabs, laqueoſq; reuinctus adoret.
Sic tibi Treijcias referet victoria palmas
Odryſia, & laurum, textumq; illuſtre coronæ.
Nam, Scythicæ infringit qui barbara cornua Lunæ,
Dignus hic eſt toto crinem ſibi cingere Sole.

ARGVMENTVM.

Fatetur ſe Poëticis,Equeſtribuſq;exercitationibus operam nauare. Frænos aſſerit ab Lapithis inuẽtos Bacchi auxilio cum Centauros inſectarentur. Recenſetur frænorum varietas, & quæ cuiq; ſint equo accomodata. Traditur modus etiam pullos equinos infrænandi. Dicitur Lupatum, quod nomen habet à Calabria fuiſſe inuentum ab Hirtheo Neptuni filio ex Morgana Nympha. Fabulatur, illam domicilium ſibi poſuiſſe in eo freto, quod Italiam, Siciliamq; diuidit. Factus autem locus eſt fabulæ ab Incolarum figmentis: Nam æſtiuo tempore, quando ſumma quies eſt pelagi, Sol attrahit, quoſdam ſummo mane vapores, qui cum vitrei, craſsiq; ſint, paulum in aërem ſublati imagines, veluti obiectas ſpeculo, reddunt nemorum, ædiumq; adiacentium littori (vt teſtatur Marcus Antonius Politus in Hiſtoria Rhegina) proinde effinxere Palatia ea eſſe Morganæ Nymphæ. Hæc Nato Principum,Equitumq;aliquot huius æui vultus oſtendit inibi à Neptuno affabrè depictos. Atq;illa frænum à Vulcano impetrauit, cuius ſtructura ad amuſſim proponitur. Salmoneus vngues equorum ferro armari docuit. Palæſtram equeſtrem laudat, eaq; frui ſe dicit, dum otiatur in Patria.

FRAN-

FRANCISCI SACCI
HIPPICON
Liber Secundus.

HACTENVS & genus, & ſtirpes, & robur equorum;
Et ſatis alipedum luſtraſſe armenta Camænas.
Vidimus. At nunc qui primos ita flexerit audax,
Vt furijs fracti dominis tandem ora lupatis
Induerint, dederintq; priùs ſeſſoribus armos,
Et phaleras ſubitò, & cultum accepiſſe ſuperbum
Iuuerit, expediam, primaq; ab origine pandam.
Diua mone: Vatiq; Equitiq; hæc munera debes.
Non ego Caſtalios pulſo nouus aduena lucos,
Nec mea nunc frænis oneratur dextera primis,
Quæq; manus calamum tractat, tractauit habenas
Illa diu, & multos dedit acri in puluere gyros.
Agnoſcunt ſua lora manum, ſua pondera dudum
Nouit equus, gaudetq; orbes agnoſcere puluis:
Cum me Cornipedum meditantem exordia laudum
Magna tuus campo Manſfeldius inuehit alto
Efferus, ò Cæſar, Cæſar moderator equorum.

Ma-

Maxime; quamquam ille, vt gyro propiore ſuperbus
Forte coërcetur, fræno vix frangitur vllo,
Et luctatur inopportunus, & impetit auram
Calcibus, & feſſus vix tandem ex orbe rotatur,
Donec tranſuerſo perſtringitur vngula campo.
Hunc Calabris Genitrix dedit Altempſina Colonis,
Ardua quà rupta de rupe Petilia ſurgens
Magna Philoctetæ complectitur oſſa ſepulti.
Tuq; ò qui placidas Orbis mederaris habenas,
FRANCISCE, *hanc etiam Muſarum reſpice partem:*
Si modò pacando tantùm tibi reſtat ab Orbe,
Vt noſtris animus vacet indulgere Camænis.
Pertractanda tibi celerum retinacula equorum,
Ferratoſq; vngues, funeſq; & cingula dicam,
Et varium frænorum vſum, & quo quiſq; requirat
Fræna modo ſonipes, primi & qui fræna dedere,
Oſtendam, atq; vſus reuocabo exordia tanti.
Et quamquam vrget corda timor, ne vincere verbis
Hæc poſſim ingentem in paruis molitus honorem:
Pegaſeum tamen ire lacum, & præſepia cantu
Ingreſſum luſtrare iuuat, quà nulla priorum
Orbita protrito ſignat veſtigia cliuo.
Bellerophon tua facta paro; tu primus in oras
Vectus inacceſſas, quà nulla it ſemita, campos
Sulcaſti Æthereos, magniq; patentia numquam
Vngue ferocis equi pulſaſti limina mundi:
Et me raptat amor deſerta per ardua Pindi,

Et

Digitized by Google

Et primùm pulſare fores, & frana Camanas,
Pegaſeoſq; rogare lupos, artemq; lupati
Dicere, & Alipedem toto deducere campo.
Ergo age: pampineo grauidus iam purpurat annus
Autumno, ſurgenſq; tenacibus Euyhus vlmis
Inſerpit, turgetq; cauo per culmina cornu,
Iam madidus, plenuſq; ſui, incertuſq; vacillat,
Succiduoſq; mouet greſſus, & tempora ſertis
Impedit; obnubitq; fluentibus vda racemis,
Miraturq; ſuis ſeſeq; canalibus vrget.
Autumno reſpirat Equus, fruiturq; ſecundo
Aëre, Baccheium munus, ſi tempore in iſto
Fræna Peletronij Lapithæ inuenere, furentes
Letho vbi perdomuere Ixionidas Centauros.
Tu Lapithis olim, tu Diue Corymbifer illis
Fudiſti Hylæum, & Rhætum cratere minantem,
Cùm fera Pirithoi conuiuia bella dedere.
Duxerat Hyppodamen damnato Ixione Natus,
Et dum lætus Hymen magè connubialia poſcit
Gaudia, cognatoq; locat conuiuia cætu;
Hic conſanguineos iubet alta accumbere menſæ
Centauros, Lapithaſq; ſuos, ſed forte bimembres,
Vt caluëre mero, Bromiumq; hauſere medullis,
Ora petunt omnes Lapitharum, & pectora matrum,
Vſq; adeo mentem veſanus adegit Iacchus:
Non tulit hanc ſpeciem Diuùm genus, inclita Pubes
Theſſala, & ingenti fremitu regalia primùm

Atria

Atria complentur, veluti ſi ſæua quietas
Ventorum rabies pelagi primùm aſperat vndas,
Atq; hinc tempeſtas, indignantiſq; profundi
Murmur: ita Athracia ſubitum de Virgine bellum
Sæuit, & in Bacchi pateris Mars excitat iras;
Lætitiæq; priùs nunc inſtrumenta ferocis
Crateres ſunt facta necis: ſtat cauſa furoris,
Impellitq; armare manum implacabilis ardor,
Et turbare odijs iucunda ſilentia cœnæ.
Iam furijs vlulata domus, iam ſanguine multo
Luxuriata fames, Mars ipſe immanior illis
Extremam ſternit menſam, bellaria Lethum
Apparat, emeritaſq; lauant in ſanguine dextras.
Multus vbiq; furor, crudelis vbiq; pererrat
Triſtis imago necis; virtute at maior, & auſis
Theſeus inſurgit. Num nos ſuperamur ab hoſte
Semiuiro? neq; enim ille vir eſt, neq; bellua, nubes
Quem peperit, tantùmne audebit filius auræ,
Inter vt Æmonios Theſeo ſpectante laceſſet
Pirithoum? nec me manet vltio? deſuper alto
Deride ignauum comitem Tyrinthie Cælo:
Perpetuæ ſatiùs nocti immerſiſſe pudorem
Hunc fuerat: ſatiùs ſaxo inſediſſe perenni:
Non tecum ad probra ex Erebo remeaſſe profundo
Debueram: dixit ſimul hæc, ſimul ilicet enſis
Fulſit Amazonius. Pholoëſq; habitator opacæ
Cedit, & irato tandem ſe ſubtrahit hoſti.

Inde

Inde fuga molitur iter , pedibuſque ſalutem
Mandat, & in ſyluas ſe protinus induit atras.
Inſiſtunt Lapithæ : at pernicior alite vento
It fugiens quadrupes, pedibus timor addidit alas.
At malè ſemiferos potis eſt æquare fugaces
Æmonius Iuuenis, ſyluarumque alta petentes :
Pone ſecuturis ſed ſors accomodat artem ,
Vt propiora ferant fugientibus arma cateruis .
Nàm propè per campos vix vllo armenta trahebant
Cornipedum cuſtode moram, depaſtaque gramen
Errabant, dorſo leuis ilicet inſilit vltrò
Terga premens Lapitha , & gemino armos calce fatigans :
Iam ſtricta fera colla manu, iam terga laceſſit ,
Prouocet vt curſum : ſonipes at larga citatis
Arua rapit ſpatijs, & amat quod ſeſſor, in hoſtes
Ire negat , curritque vagus, dominumque iubentem
Nequicquam exportat, neque verbere frangitur vllo.
Nuda gubernaclo veluti ratis acta per vndas
Accipiens inimicam hyemem raptatur in æſtus ,
Atque incerta ſui mox huc , mox voluitur illuc ,
Et pelago, & ventis agitur, quàue iuerat ante,
Itque, reditque vias, neque curſum dirigit vllum.
Aſt aderat Bacchus (patiens nam terra Deorum
Tunc erat) edomitis remeans qui victor Eois
Signa triumphato iam tum flectebat ab Indo
Gangaridum de ſtrage fluens: & Caſpia curru
Iungebat colla, atque hedera ſtimulare iugales

Gaudebat, frænoſque feras mordere docebat.
Ille docet Lapithas artem, frænique regendi,
Flectendique vſum, velut ipſe ſubegerat olim
Eoo famulas rediens de littore tygres.
Inde Pelethronij Lapithæ ſua flectere lora
Nouere. At primùm torto de fune lupatum,
Vt præſens vrgebat opus fecere: ſed acres
Oſſæi poſtquam bello cecidere bimembres,
Ilicet è duro fecerunt fræna metallo,
Et de pelle boum ſunt mox retinacula frænis
Addita, & in populos artem, gyroſque dedere.
Ferrea ſe gemina protendit virgula parte,
Imaque ſe flectit magis, & curuatur in arcum;
At mediam, quà ſeſe inflectit, habenula virgam
Ferrea ſubfulcit, complexaque iungit vtramque,
Atque itidem ſubter ſocianda catenula virgæ
Subditur, eſtque triplex. ſed, quæ ſtat proxima mento,
Illa genas ſemper, mentumque coërcet equorum.
At, quia diuerſos frænum hoc aptatur in vſus,
Induit hinc formas alias; & nomen imago
Sæpè dabit, quàm fræna ferunt: ſeu præbet Oliua,
Seu rota, ſeu pila, ſeu pepo, caſtaneaue, pirumue,
Gallinæue femur, ſeu tintinnabula nomen.
Quare non eadem pariter cuicunque regendo
Cornipedi bona fræna licent; tu conſule mores.
Namque ingens ſi cornipedi patet oris hiatus:
Tunc adhibe peponem; quod ſi lubra craſſa tumeſcunt,

Arctan-

Digitized by Google

Arctanturque lupi; nullumque interſecat illos
A gemino, ſpatium, quod erit munimine, fræni,
Tu protende lupos, ſpatiumque extende ſub ore:
Si verò elata nimium ceruice ſuperbit,
Ferratos tunc lene lupis interſere montes,
Curuumque aſtringat geminata catenula frænum
Brachiolis complexa ſuis, atque ora lupati
Vniat extremi: nam tunc dimittere coget
Ceruicem, & ſtabili veſtigia condere vultu.
Si verò ſonipes molli nimis hæret habenæ,
Et vultum dimittit humo, recta ingere fræni
Brachia, namque genas ita colliget ille: ſed apte,
Vt tollat fræno caput, impleat ora lupatum.
At ſimplex pullo, quod brachia concaua tendat,
Frænum adhibe, aut ſi cornipedi lacera ora rigeſcunt,
Aſperaque antiquo ſub fræno lingua laborat
Vulnere, nam placidè mite hoc regit ora lupatum,
Qualia contuſæ pariter quoque arundinis inſtar
Fræna regunt, nuſquamque illi manus aſperat ora.
Namque ideo frænum hoc virgarum brachia tendit,
Incuruatque aliud, longamque induta figuram
Hoc modò ſub collum dimittit virgula frænum,
Hoc modò ſe reprimit, nec longè promit ab ore:
Quod tamen Hiſpanæ frænum eſt tractabile Genti,
Aſtur enim illud mandit equus, cui ferreus orbis
Additur, vt linguam preſſet, cogatque ſuperbum,
Elatumque caput ferri, & veſtigia condi.

Mollia per campum, gradibuſque reciſa minutis.
At chalybem fræno, quem verſet in ore, reponas;
Ebibat hunc ſonipes, quod ſi non ſpumeus imbrem
Manat equus, ſiccumque illidit in ora lupatum,
Ora intra paruas tu frænis adde catenas,
Haſque volubilibus globulis innecte fluentes,
Quas agitans lingua ſonipes humectat obortis
Imbribus ora ſatis, ſpumiſque albeſcere campos
Coget, & hanc equites noſtri dixere catenam
Sicaniam, quia forſan Eques Trinacrius olim
Inuenit; fecitque illi ſua nomina Tellus.
Sed placido ſemper, teneroque inflectere fræno
Cornipedem libeat: remoue, quæ fræna rigeſcunt
Duriùs, hæc tibi equum reddunt, qui poſtulet vſum
Aſperiore manu, totique incumbat habenæ:
Inde genis frænum, gingiuiſque officit, illud
Dentibus exagitat ſonipes, mordetque ſuperbus;
Dumque agitat frænum, ſemper ſibi vulnerat ora,
Confluit & nimius vexata in vulnera ſanguis,
Obducitque cutem, qua mox gingiua rigeſcit,
Afficiturque minus, neque fræno læditur vllo;
Sic magis ille manum trahit, & minus audit habenas.
Attamen hoc primæ in pullo tibi ponere curæ
Sit ſtudium, vt gradibus diſcat paulùm ille ſonare
Compoſitis, motumque notet; noſcatque priuſquàm
Induat in frænum ſeſe, mollique capiſtro
Dirige, quod nares aut ſerræ, aut pectinis inſtar,

Aut

Aut torto ſeſe dum conglobat vndiquè ferro,
Comprimat, hoc pulli primùm caput æquet, & artus;
Hoc etiam contende, vt opem de fune repoſcat
Effrenus ,totoſque volubilis explicet armos ,
Et legem ſubeat celer ; atque ita tramite recto
Alternare doce ſinuata volumina crurum,
Carpere vel gyrum, ſi ſic leuis ibit, vt orbi
Inſudet rectè, quamquam ſunt libera fræno
Ora, & erit molli tractabilis ille capiſtro :
Sic etenim pullus, cum fræna ſonantia mandet ,
Audiet hæc melius, mentique ſtudebit herili ;
Namque illi maius præbebunt fræna vaganti
Seruitium, & leges mage ſic tolerabit iniquas.
Sæpius at tracto ſiſtatur fune, ſed ictus
Tu dare ſiſtendo caueas, lentèque repoſce ,
Quem tractas funem, vt pullus veſtigia firmet.
Attamen id nobis commendauere magiſtri ,
Nulla vt ponantur pulli retinacula fræno :
Sed primùm, cùm fræna feret, [illegible] ubera loris;
Mox verò geminæ, freno ſubdantur habenæ,
In quas doctus equum paulatim Seſſor euntem
Colligat; ille etenim tunc ſponte in fræna recedet :
Quod ſi principiò Pullo lora adderet acri,
Colligeretque manu, caput hic motaret, & ora,
Excuteretque nimis, traheretque in guttura linguam.
Quare aptè proprium Calabri inuenere lupatum ,
Ingenioſa ſuum cui noſtra Calabria nomen

Fecit,

Digitized by Google

Fecit,equum miti quò frangeret arte ſuperbum.
Hoc autem in populos quiſnam frænum extudit author
Muſa refer; noſtras nam vix it fama per aures ;
Ergo age Lethæo tu Diua è flumine tanti
In Gentes reuocare potes primordia doni .
Eubææ poſtquam bimari Gens ceſſit ab Iſthmo,
Cecropidæ nimijs quam pulſauere duellis
Auſoniam petijt , Rheginaque littora, & agros,
Quos Aſchenates dudum tenuere Coloni ;
Cùm Deus vltrices Cœli compeſcuit vndas ,
Redditaque eſt orbi lux , luci redditus orbis ,
Et ſedem poſuit,Templumque ſacrauit, & aras
Hìc,vbi Tyndaridas Vrbs eſt venerata Lacones.
Templum ingens ſtatuit, centumque immane columnis ,
Quod geminum Fratrum,templis magis omnibus, vnum
Poſthabitis Numen patrijs habitauit Amyclis .
Hìc Pollucis equus fuit: atque hic Caſtoris arma;
Fertur & hinnitum,quo terruit arua, pedumque,
Cùm terram foderet, ſæpe exaudiſſe fragorem ,
Et vidiſſe etiam in medio veſtigia templa
Aduentum teſtata Dei pauido ore ſacerdos.
Tempore quo (Calabri ſic illum nomine dicunt)
Vir fuit Hirthæus, domitor quo doſtior alter
Non erat alipedum, neque amantior alter equorum:
Sed vetuiſſe nequijt ; ſonipes ne durus habena
Motaret per inane caput ; nempe aſpera fræno
Ora rigeſcebant , tantumque arcere rigorem

Dum

Dum magis optat eques, caput vltro quaſſat, & ora.
Quare multa querens Genitricem affatus in oras
Littoris excedit Calabri. Morgana Parente
Edidit hunc fœcunda Deo, qui temperat vndas.
Illa domum ſecura tenet, ſedemque locauit
Scyllæas inter furias, rabiemque Charybdis,
Quà conſanguineis commercia proxima terris
Parua interiecti probibent diſcrimina Ponti.
Hèc domus innumeris ſurgit ſuffulta columnis,
In medio poſuit quæ fundamenta profundo,
Ponderibus ſed fixa ſuis, vbi marmore picto
Candida cæruleo diſtinguitur area giro;
Atque huic partitis diſtantia tecta trichoris
Hærent, & vario tecti faſtigia vitro
Effulgent, quibus eſt gemmarum, & lumine ſolis
Multus vbique dies: ſed non ea limina ſemper,
Vel domus ipſa patet, fallit nam lumina, ſeque
Eripit ex hominum viſu, prohibetque videri.
Nunc procul oſtentat radiata palatia gemmis,
Nunc nemora, & latè frondoſi culmina collis
Præbet, & adiectas nemorum fugit vmbra per vndas.
Quas oſtentat opes ſimul, & ſimul occulit illas,
Nec patitur patuiſſe diu: ſed, vbi aſtitit vdum
Ad littus, Matri natus ſic voce profatur.
Mater, Morgana, ò Mater, quæ cærula ponti
Sola tenes, medioque potens in gurgite regnas.
Quid me Neptuni præclaro è germine iactas

Proge-

Progenitum, Patremque doces, qui primus equorum
Dicitur ora ſuo quondàm flexiſſe lupato?
Si caput vt firmet ſonipes tentaſſe laborem
Haud vllum iuuat; & nimiùm ſi frena repoſcam,
Vt reuocet greſſum, ſubitò quatit ora, graduſque
Ferre negat, nullique ferox obtemperat arti.
Anne meæ Patrem ceperunt tædia laudis?
Accepit Nati Genitrix lamenta, ſedebat
Quæ nitidas inter, Sicula aut quas vnda recepit,
Aut dedit ipſa Deas; Nymphæque ſedilia complent
Lucida, cæſaries flauo quibus aurea nimbo
Fluctuat in ceruicis ebur, lambitque genarum
Ambitioſa niues, & lactea colla flagellat.
Hic Cyane, gelidus quam dudum ardebat Anapis,
Et Perguſa, illam non dum mutarat in vndam
Diua, repercuſſo quæ terret Mænala cornu:
Illic Scylla ſuis poſitis ſtat Brutta monſtris
Sicelidem beneſida ſinu complexa Charybdim,
Et quæ Cyclopis Galatæa incendia nutrit,
Centumque ex vno lacrymarum effundere fontes
Fonte adigit, fletuque Cyclopem mutat in Argum.
Nec non Ortygia, & quotquot meminere Poëtæ
Sicanios coluiſſe lacus, & parua Libonis
Flumina, Rheginoſque ſinus: ſupereminet omnes
Quæ fugit Elæas, Alphëias aduena, ripas:
Illa autem Alphei veteres narrabat amores,
Vtque vias imis ſubter maris egerit vndis.

Nequic-

Digitized by Google

Nequicquam Orchemonon vltra, vltra Pſophida celſam,
Terrificumque Erymanthon, & horriſonum Stymphalon
Hærentem tergo fugiens ab Achæide amantem.
Carmine quo captæ dum vim mirantur amoris
Nymphæ aliæ, qui magna docet flagrare ſub vndis
Flumina, ab hyberno quamuis oppreſſa gelu ſtant,
Triſte ſonans rurſum maternas impulit aures
Hirthæi gemitus: quare ampla ſedilia nymphæ
Liquerunt: aſt ante alias Perguſa ſorores
Proſpectura procul gemitus caput extulit vndis,
Atque ait, ò tanto non fruſtra exterrita queſtu,
Ipſe tibi, Morgana ſoror, tua cura, tuum cor
Hirthæus, magni liquidam Genitoris ad vndam
Stat lacrymans, queſtus ciet, & fata aſpera dicit.
Mater ad hæc tacita complens formidine pectus
Vade age, rumpe moras, & noſtra ad limina natum
Duc Perguſa ſoror, ſit fas tandem atria Diuûm
Tangere, Nympharumque aſſueſcere cœtibus illi.
Hæc ait, & ſimul alta iubet decedere latè
Æquora, continuò geminus ſtetit vndique aquæ mons,
Atque iter ad ſolidum vitreo patet aggere pontus,
Quà Iuuenis faciat veſtigia ſicca ſub vndis
In medijs peregrinus aquis, matrique propinquet:
Iamq; domum miratus adit, totamque pererrat
Luminibus tacitis; cernit fontéſque, lacuſque,
Et nemora æquoreis vmbram facientia nymphis,
Et fagos, ornoſque, capillataſque cupreſſus,

Lauruſque, & vites , & amictas vitibus vlmos.
Hìc Ver purpureum, atque hìc lumine veſtit aprico
Annus agros, Solemque ſuum, & ſua ſidera nouit.
Illas haud vnquam latrauit Sirius ædes,
Nec frondoſæ vnquam Nemees conſpexit alumnus;
Frigora ſic frangit Sol, atque ita frigora Solem,
Vt domus hæc verſum totum ſibi mitiget annum.
Hinc cernit, quà terra fouet congeſta metalli
Pondera, torrentique ſolo gemmantia ſaxa
Fundit, & hinc pura quà viſus imagine pontus
Stillato lacrymata fouet conchilia Cœlo.
Illinc magna videt naſcentia flumina magno,
Et moritura, mari. Non hìc cunabula Nilus
Cælat, at ingenti tollit tumefacta tributo
Colla, ſuaſque negat ripas habitare ſuperbus.
Voluitur hinc diues pretioſo vellere Phaſis,
Et pauper nigras lambit Pactolus arenas.
Nempe Midam ille ſuis non dum demerſerat vndis.
Tybris it æternis redimitus tempora palmis,
Nec creſcit magis amnis aquis, quàm fluctuat ingens
Mole trophæorum, nec ſe capit arduus alueo:
Eridanuſque pater, præbet cui populus vmbram,
Et Phoëtontææ ſpumant electra Sorores.
Quiq; ſuo Ganges fluido Solem induit auro,
Sol quoties auro trabeatus obambulat æthram.
Et qui fluctu ingens Babylonica limina pulſat
Euphrates, atque hinc Tigrin complexus Eoum

Volui-

Voluitur, & magno ſorbet ferus æquor hiatu.
Quique ad Amazonij dimittitur oſtia ponti
Sangarius, ſacramque trahit Corybantibus vndam,
Cum iuga purpureo repetit Berecynthia curru,
Tympanaque, & raucas impellit ad Orgia buxos:
Et Rhodanus præceps, Rhodanique per aſpera curſu
Præcipitatus Arar, quique æquora territat Iſter,
Flumina qui centum latè coëuntibus vndis
In nomen dat abire ſuum, & qui Caſtora lauit
Eurotas, & Virginibus cantatus Enipeus.
Quique per Heſperios nitidus vomit aurea campos
Dona Tagus, tardaque mouet per amœna viarum
Maieſtate gradus, nam dum fluit ille ſuperbus
Miratur ſeſe, & frontis qua flaua reuoluit
Lumina, quot tanto latè fouet amne, recenſet
Ambitioſus opes; tuque hìc Parnaſſide lauro
Obtegis Arne comas, tuque hìc Sebethe corymbo,
Hippocrenæi quos inuidere fluenti
Numina, vos inter medius modò Mincius errat,
Cycniſque ille ſuos veſtris immiſcet olores.
Nec tu pulcher aqua Pinaci indictus abibis,
Qui nunc delicias teſtatus murmure noſtras,
Dum tenui fluuio Rhegina nitentiùs vrges
Mœnia, ſtagna mihi præbes Cirrhæa bicorni
Exudata iugo, patrioque in littore Pindum:
Tu licèt anguſto repleas vix flumine ripas
Exiguæ largitor aquæ, largitor amorum,

Digitized by Google

Delicijs potiùs, quàm grandibus affluis vndis:
Icarij parcat tibi ſic ſitis horrida monſtri,
Et parui nunquam populentur gurgitis alueum
E Calabris armenta iugis; ſic cana refundat
Bruma niues, atque vt fluuio auxilietur eunti,
Apenninigenis furata à fontibus vndas
Ipſa tibi è Cœlo noua flumina deferat Iris;
Quandoquidem te pura cadens decet aëre lympha:
Vade age, tu poſthac nullo expugnabilis aſtro
Lenè flues, longùmque amnes memoraberis inter,
Inferiore licèt ſurgant mea carmina plectro;
Forſitan & comitem non indignabitur vndam
Mincius, & Tuſci te priſca admiſerit Arni
Gloria, ſeu Latia varians in arundine carmen,
Seu tenues calamo rythmos meditatus Etruſco
Conabor capiti geminas intexere frondes.
Hìc igitur quotquot fœcundant flumina terram
Cernit, & inſanos fluuiorum in gurgite motus,
Miraturque imbres, tempeſtateſque fluentes
Horret, & eiecto grauè ſaxa rotantia fundo.
Aſt vbi peruenit, quà celſa palatia mater
Incolit, haud vlli quod fas inſiſtere limen,
Extemplo nati gemitus cognouit inanes,
Et tenuem didicit lacrymarum inſurgere cauſam.
Inſtaurate dapes Nymphæ Oceanitides, inquit,
Neptunoque Patri noua libamenta feramus;
Quin & Panchæis vittatæ nubibus aræ

Iam

Iam tacitis circùm vigilent in Numina flammis.
Te Vulcane vocat, tibi ter perfundit odorem,
Terq; ſuperiecto ſacra Baccho flamma reluxit,
Attollitq; animos Genitrix; atque omina firmat,
Et nati mulcet magnas ita fata querelas.
Nobilis Ægæi è gremio genitoris in auras
Erigitur Lemnos toto redimita profundo:
Hinc, quà deciduum circumſpicit Inſula Solem,
Ingreditur nemoroſus Athos per inania nubes;
Hinc verò, Arctoos quà proſpicit illa Triones,
Thraces arant. Hìc Cyclopum fumoſa caminis
Antra tonant, grauibuſq; ſimul tonat ictibus æquor,
Cùm Deus ignipotens opera ad frabilia ſudat.
Huc ſit iter nobis, quando hæc te cura remordet,
Parq; erit exorare Deum: nam condere fræna
Iſta poteſt; neque enim Genitor tractauit habenas
Arte pari. dixit, Phocaſq; ad fræna iugales
Imperat acciri. Dein fræna iugalibus ante,
Quàm famulæ iniiciant nymphæ, tu lætior, inquit,
Nate ades, & mecum virtutem addiſce regentum
Cornipedes, Equitumq; noua compendia laudis.
Vix ea: cùm dextra natum Matrona prehenſum
Ducit in extremi conclauia lucida tecti,
Quà ſimulacra Virùm poſuit, quos æquus amauit
Neptunus, cogitq; equitare per æthera Virtus:
Qui nempè ante alios docto flexere lupato
Cornipedes quondam, modò vel labentibus annis

Poſtera

Poſtera flectentes frænum admirabitur ætas.
Ingreditur felicem aulam, & ſua pignora Mater
Ducit, vbi centum ſtudÿ miratus equeſtris
Inſtrumenta videt, phaleraſq; lupoſq; ſonantes,
Funeſq; frenoſq; intricataſq; catenas,
Defixoſq; ſuos tenet ad ſpectacula vultus:
Namq; ita Neptuni moreſq; Equitumq; figuras
Effinxere manus, quales ſua fræna tenentes
Fulgebunt, notumq; ferent per ſæcula nomen.
Tunc ſic mater ait. Vultus, habitumq; potentum
Cerne Equitum, & vires, deſcriptaq; nomina dudum.
Aſpice, cui mitem tranquillant ſidera frontem,
Sidereoq; nitens ridet coma gratior auro!
Caſtor hic eſt: audin, vt Cyllarus aſtra laceſſit,
Eurotanq; & atrox propellit Mænala flatu?
En Iuueni dubiæ lanuginis vmbra renidet,
Cæſarieſq; fluens pretioſa dat oſcula collo,
Quam nitidi circum radioſa aſpergine nimbi
Verticis ingenui Sidus fatale coronat.
Qui verò Ætherei per inardeſcentia mundi
Limina pulſat equum, carpitq; per aſtra volatum
Sublimem, tenuiq; exceptus inhorruit aura,
Dux Ephyræ ingenti deſignat nubila gyro;
Bellerophontis iter viden; & ſæuam aſpera flammis
Ora exertantem bellum intentare Chymæram?
En ibi iam victor ſurgit: iam Pegaſus alis
Tollitur, & fruſtra laxant rabida ora Leones,

Namq;

Namq; petunt vmbram, rugiuntq; per æthera nubes.
Aſpice, quem rutilæ geſtat manifeſtus Arion
Igne iubæ, cui torua oculis natat ignea virtus,
Et patrio feruet par incoſtantia ponto?
Neptuni hic dono Graij veneratur Adraſti
Imperia, atque alto incedit per gramina ſulco.
Qui tamen excurrentis equi pede proterit Indum,
Et geminis cogit Gangem palleſcere ripis!
Non alia tractata manu fræna aurea magnus
Tractat Alexander, quem nunc famularibus armis
Aptat equus mitis, Dominiq; ingentior auſis
Hortantis plauſus, atque imperioſa veretur
Verbera, belligeroq; procul iuga territat ore.
Sic Mater ſimulacra notat, dein lumina torquet,
Oſtenditq; alios vultus, Equiteſq; recenſet.
Sed qui Cornipedis gemino latera aſpera ferro
Pulſat in arctoas acies, Rhenumq; ſeuerum,
Et multa ſtantem niue verberat vngue minaci,
Ferdinandus *hic eſt; ſtricto increpat enſe rebelles,*
Herculeaque minas victor domat arte Colubrûm.
Aſpicis, immani quantus nece fulminet hoſtes?
Quantus & immineat toto Mauorte phalangi?
Cernis, vt aſſuetum Morauûm nemus omne cruentis
Quercubus, atque ornis onerare cacumina montis.
Floret in obſequium, & centum parit arte coronas?
Scilicet, è Cælo volitante Gigantibus igne
Oppreſſis, Cæſar Latijs ſub legibus Orbem

Coget,

Digitized by Google

Coget, vt emerita deponat fulmina dextra.
At nitidum qui flectit equum, criſtiſq; comantem
In galeam ſurgit, trepidis cui fulgurat aruis
Cæruleus thorax, clypeiq; incenditur orbe
Campus, & erecta longè timor errat in haſta.
Hic Ludouicus *erit, manibus date Lilia plenis,*
Lilia Borbonio gentilia conſita campo,
Inſcriptoſq; Ducum magnorum nomina Flores.
Herculeas illum laudes ſuperaſſe ſuperbæ
Deflebunt Thebæ, ſpolioq; onerata Leonis
Mænala, & aſſertæ Nemeæa cacumina ſyluæ.
En illum comitata pari per prælia greſſu
Læta triumphalem ſubtexit Gloria laurum,
Et quà regales humeros, & colla flagellat
Tempeſtas pretioſa comæ centena reponit
Serta; Iouis quercus, & mitior vmbra corymbi
Olli crine fluit; quin ſe probat vndiq; & omnis
Annuit huic arbor ramis ſtudioſa ſupinis.
Aſt vno qui frenat equumq; Orbemq; lupato,
Altior hîc tractat gemmantia lora Philippus,
Cui radijs fulgent crines, cui tempora circùm
Aurifero redimita Tago; famuluſq; prementes
Voluitur ante pedes, fractiſq; admurmurat vndis
Oceanus: primo quem littore Phœbus adorat,
Et cui nocte iubar commendat, & aurea credit
Lumina, in ipſius naſcuntur lucida regno,
Ipſius in ſolio placidè moritura quieſcunt

Sidera:

Sidera: cernis, equi deflere ſub vngue reuinctum
Heſperio dudum damnatum carcere Thracem?
Illinc mæret Arabs, illinc ſuſpiria miſcet
Belga, ſub Auſtriaco qui iam ceruice rebelli
Imperio detrectat onus: ſed prælia victor,
Quæ Genitor, quæ geſſit Auus, felicia complet,
Et toto crinem meus impedit Orbe Philippus.

Quis verò armipotens Hyrcano in ſanguine pulcher
Cornipedem vexat, diraq; aſpergine latos
Vndat agros, Getico domus immanſueta ſub Æmo
Quem tremit, & picta fulgens in veſte coronat
Gloria, Ductoreſq; catenatoſq; maniplos
Explicat à tergo, atque arma, exuuiaſq; receptas?
Hoc ne Getę Mauortis opus, cui bella ferenti
Dant ſyluę, monteſq; locum, pedibuſq; ſolutæ
Influuios abiêre niues, Cælumq; tremiſcit?
Fallor io, felix hîc Ladiſlaus *ab oris*
Sarmaticis bello Odryſios deſcendit in hoſtes,
Me niſi Threïcius vertens ſua terga Tyrannus
Fallit, qui veteris repetens ſuſpiria palmę
Magna catenatæ deflet conuicia Gentis.

Quin & Boiaricis agit huc Regnator ab oris
Maximianus *equum, ſacriſq; inſudat in armis,*
Vt premat ardentem flammis Borealibus Albin.
In fera quem ſonipes rapido vehit agmina curſu,
Itq; celer ſic bella vehens, vt currat eodem
Fama gradu, flatuq; procul perſtricta gementis

Alipedis, trepidas belli cum murmure pennas
Explicet: illam etenim properans inſtigat ab alto
Maximianus *equo, & tergum ſimul increpat haſta;*
Vnde nouo trepidans gemat Hæreſis iſta duello.
Quis procul ille autem lauroq; inſignis, & armis,
Bella ferens? noſco armorum radiantia circùm
Lumina: iam torquet ſua fulmina Carolus, *ille*
Aggeribus venit Alpinis, & vertice Tauri
Deſcendens belli, paciſq; ſtat arbiter omnis
Italiæ. O ſi tanta animis deſueſceret arma,
Quantus in Æmonios inſurgeret enſe Tyrannos.
Ecce Subalpini Iuuenes noua gloria Gentis:
Ipſi habitu niuei niueos in bella fatigant
Cornipedes: hinc lora tenet Victorius, *illinc*
Frena regit Thomas, *rigidamq; aſſurgit in haſtam,*
Atque ſuos patrio metitur in enſe labores.
At, cui læta ſuos inclinat Etruria Flores,
Flauaq; odorata cui tempora prole coronat,
Igniuomum Fernandus *equum, & Florentia tractat*
Forti fræna manu, ſimulacraq; Martia ludit.
Illius æquoreis ſecura Penatibus ipſa,
Et fateor, placidamq; traham de munere vitam.
Nam quoties noſtri reſonantia terga profundi
Sulcat Etruſca ratis, nullus temerare quietem
Audet Arabs noſtram, & nullo Piratica puppis
Littore, nec patrijs audet conſiſtere ripis.
Hoc nuper debere iuuat, dum flectit habenis

Quadru-

Digitized by Google

Quadrupedem prima ſignatus flore iuuentæ:
Namq; vbi maiori iaculabitur arma lacerto,
Ardebitq; aliis ſonipes calcaribus audax,
Aſpiciam gauiſa tegi tunc puppibus æquor
Ionium, Siculumq; fretum, vel vt Æolus ipſe,
Non aliæ viles auræ, curuare laborent
Tot, tantoſq; ſinus, pinuq; latere ſub omni
Æquora turrigeris vix ſuffectura carinis:
Scilicet Italico toto tunc ibitur enſe
In Scythiæ iugulum, & rigida præcordia Thraces;
Victor & hinc alias terras ſibi quærat, & Orbes
Fernandus, *tantis neque par virtutibus vnus;*
Quot vexilla ferent, totidem imperet Orbibus ille.
Hic ſublimis agit, ſpatioſaq; lumina complet
Barberinus *equum Princeps, qui prouocat Euros.*
Aurea cui fræna effulgent, phaleriſq; ſonantes
Miſcentur phaleræ, & phaleris inſternitur oſtrum;
Sanguinea virides expumant fauce ſmaragdi,
Vngula ſuppoſito greſſum ſuſtentat in auro,
Hortanteſq; preire tubas, duriq; minatur
Eluuiem campi; viſus nec degener illo
De grege Phœbæo, qui nubila nauigat audax,
Auditoq; cibum indignatus Apolline liquit.
Illum Roma cupit ſibi, tellus Itala poſcit.
Aſpice, quanta ſuo ſcintillet ab æthere flamma
Æternum teſtata decus? viden aurea purum
Qualia per Cœlum decurrant omina circum?

VRBANVS, *quæ læta vocat, Cortina Tonantis,*
Terrarumq; ſalus, atque huius amabile mundi
Numen, & æterni vox Numinis, ille recludet,
Cumq; ſuo ducet mundo noua ſæcula Sole,
Dum magis inſano bacchabitur excitus Orco
Cunctorum in terris inamabilis ordo malorum;
Seu quà nil non auſa fames, & prælia regnant,
Seu quà vecta Erebo poſuêre cubilia peſtes.
Inde Columniadum geminos de Germine Fratres
Aſpicis: ipſe ſuum hinc moderatur Carolus, *atque hinc*
Proſper *equum; ille atro Belgarum ſanguine campos*
Vndabit latè, & rapidi veſtigia curſus
Funere tardabit multo, melioraq; pugnans
Prælia iam victor priſcos penſabit honores.
Hic autem in ſeſe conuertit lumina Romæ,
Ominaq; & læta iam Proſpera nomina pugnæ
Exprimet. En gaudet Maiorum prælia ludens
Hiſpano ſublimis equo, cui melleus ambit
Membra color, cui pompa iubæ, cui plurimus auro
Fulgor, & arcano florentes lumine gemmæ:
Illos pugnantes dudum ſibi deſtinat Hebrus,
Abiectiſq; procul tremuerunt Bactra pharetris.
Ille, viden, qui facta diù veſtigia Pindo
Torquet marmoreo referens pia munera Templo?
Iuſtinianus *equum flectit, qui fræna remordet,*
Armeniamq; refert Patriam, Tigrinq; ferocem.
Ille docet mores, & equorum robur, & artem,

Auſonius

Auſonius quæ diſcit eques, memoratq; magiſter.
Thracis enim rabie, ſceptro deiectus auito
Helleſpontiaco linquit regnata Tyranno
Littora, & Ægæas ſua quà Chios aſperat vndas,
Mæoneque illa ſuo, natoq; ſuperbit Homero,
Auſoniamq; petit, veteriſq; cacumina Baſſi,
Quà templum ſublime locat, fundataq; nuper
Ardua Vincenti ſubit æthera Numine moles:
Illum, ſeu ſublimis equum compeſcit habenis,
Siue Caledonios iaculum molitur in Vrſos,
Obſtupeat noſtro diſcreta Britannia mundo,
Vltimaq; horriſono miretur in æquore Thule,
Et quæ dant Soli nocturna cubilia Gades;
Cùm iuuat vndiſono percurrere tramite Peucen,
Atque alijs tranſuecta ſalum veſtigia terris
Figere, quà medio ſpumat glacialis Hyberne
Oceano, & longè ſubeuntibus Anglia candet.
Hìc autem Aonia redimitus Daphnide crinem
Stat laudatus equo, Gabriel, *cognomina fecit*
Cui mare Maurorum genus alto à ſanguine Regum,
Hiſpanus nitidas ſonipes cui lambit habenas
Impiger, & curſu certantes prouocat auras.
Sed vidit procul è Cœlo, inuiditq; tuendo
Pegaſus, ille equitem, melioraq; pondera paſſus
Optaret flecti, magnumq; Helicona *ſubiret*
Lætior, vt medijs ſeſſorem inferre Camænis
Poſſet, & aërij luſtrare cacumina Pindi;

Seſſor

Seſſor enim Phœbi comes, & ſacer artis alumnus
Aoniæ, citharæq; manus inſertus eburnæ
Fila mouet, propriæq; canit naſcentia laudis
Semina, Theutonicus veluti præcepta magiſter
Signat, Apollineas cùm Canſpergerius *illi*
Extremo expertas protendit pollice chordas.

Nec tamen Auguſto, Pallas Vicina quod ornat,
Deficit Alphonſus *de ſemine: cernis, vt altè*
Inſidet acer equo? Puero quantum inſtar in illo eſt.
Macte animi: relegis iam nunc ſecreta ſenectæ
Cecropiæ; & quicquid non reſponſura Lyceo
Porticus effudit, deſudaruntq; labores
Quicquid Ariſtotelis, reuocaſq; exordia mundi.
Quid Cœlum immoto ſemper Motore rotetur,
Quidue ingens vndis arctetur littore pontus;
Quo ſecum in ſeſe libretur pondere tellus;
Quidue per effuſum ſe torqueat aëra moles:
Seu magis eloquij iuuat árua per ampla beati
Currere, qua ditat felix opulentia linguæ,
Ambroſiæ quà vena fluit; campoſq; redundat
Diues in ingenij, fæcundaq; pectora torrens
Complet, & immænſum iam ſeſe expandit in amnem,
Impius horreſcit qualem Catilina fluentem,
Cùm tanto immerſus bibit alto in flumine lethum.
Seu magis arridet collis, quà ſaxa vocauit
Amphion, aut æra tubæ quà ſpiritus inflat
Mæonius, citharæ vel quà tumet ille Tyrannus

Pindarus

Pindarus Actaæ, carpitq; per aſtra volatus
Dædaleos, totámq; trahit ſuper æthera mentem.
Hæc modò: ſed paules, cùm laudibus æmulus annos
Maiorum vrgebis, minitantem in prælia dextram
Impelles: Series tibi limen honora Parentum
Expediet, Martiſq; nouos tibi priſca parabunt
Ad titulos exempla Patres, ſeù maior in arma
It comes Auguſto, atque Italas vehit acer in oras
Germen Adalbertus, ſeu quà imperterritus armis
Inſubres Arces, Ezelinumq; ferocem
Percutit Vbertus: proauus ſeu Sfortia laudem
Quà parit, & compar ſortitus ab æthere nomen
Frater Muſarum nunquam peritura voluptas;
Qui laudum præcepta dabit, tantiſq; docebit
Mentem implere Ducum meritis, & magna recludet
Semina: vade Puer, tantiſq; aſſueſcere donis
Gaude alacer; Patrum, maioraq; diſce mereri:
Nam nec erit virtutis amor monitore petendus
Externo tibi, cognatam cui Gloria præbet
Laudem animo: quærant alij Pyrrhoſq; feroces,
Annibaleſq; truces, reduceſq; ab ſtrage Camillos
Gallorum, Brutoſq; feros, & fulmina Martis
Scipiadas, tu diſce tuos: tu quære Parentem,
Et quæ magna tibi ſignat veſtigia Frater.
Nec procul it Rhaphael*, fallunt niſi candida magnæ*
Signa Crucis, radijs quæ circumfuſa coruſcis
Purpurat Odryſio de ſanguine: quamq; figurat

In clypeo Spinam, Thracum demerſa cruore
In rubram redit illa roſam: namq; omnia latè
Sternacem dum flectit equum metit obuia ferro
Agmina. Sed dic, Natus ait, quid candida, mater,
Signa ferunt? Iuueni quis pectore candicat albor?
Tunc ſic fata Parens. Non eſt mortale, quod optas
Nate, ſed interea, quoniam iuuat, accipe cauſam.
Tempus erit, Solymis cùm Chriſti in iura receptis,
Nobilium capita alta Virùm, & delecta potentum
Pectora victrices iungent in fædera dextras,
Vt coniurato compeſcant agmine Mauros:
Quos Equites, quoniam Mantini in regna Tyranni
Accreſcent Solymæ, medio Rhodos ardua ponto
Excipiet, Rhodia ſed rurſum ab ſede repulſos
Accipiet Gaudos, Melitæq; immobile ſaxum,
Quà Melitæa Cohors tunc in ſua iura vocabit
Magnanimos Heroas, & alto à ſanguine Pubem,
Qui toto Odryſias auertant æquore turmas,
Atque illos inter Raphael *mucrone coruſco*
Scrutatus latebras Arabum ſua monſtra Barathro
Reddet habere truci, Titaniaq; aſtra micanti
Increpitans longè gladio Spinam vndiq; perget
Gentilem Italiæ poſthac prætendere ſepem.
Aſt age, tu nate huc animos, & lumina verte,
Quà Puer haud longè Patris præcepta fatigat,
Flectendoſq; addiſcit equos: hic, Maxima proles,
Carolus *eſt, frontiſq; apicem, & veſtigia magna*
Indolis

Indolis agnoſco: placidis locat otia Muſis,
Argolicamq; chelym, & Latij monumenta Maronis
Perlegit, atque vtrumq; Heroa recenſet, ibiq;
Quicquid mox imitetur, habet, cum iuſſa ſequetur,
Excultaſq; iuuat mentem exercere per artes.
Seu vacat immenſos radio perſcribere gyros
Terrarum, tractuſq; maris, Cœliq; meatus,
Oraq; perpetuò viuas animantia telas.
Ille autem, parili quem cingere fronde capillos
Cernis, in Aonias frana aurea dirigit oras
Gregorius *Phœbi, Patruiq; exempla ſecutus:*
Ni maior Phœbo Patruus, qui tempora lauro
Induit, & ſacro laurus intexuit oſtro;
Cui tamen & meliora paret diademata virtus.
O quantùm felix adoleſcit Gloria tecum
Spada, *ſibiq; nouos gaudet ſpondere nitores:*
Namq; tibi anguſto de pectore maior inundat,
Nec ſe animus cohibet primis ingentior annis,
Nec mentem capit ipſa tuam, quæ te capit ætas.
Gratatur te Roma ſibi; non murmure trunco
Quod rogat, in centum cupit ora pateſcere tellus.
Iactat & hic alios etiam Parnaſus Alumnos,
Seu quà flectit equum, plectrumq; Theodolus *vrget,*
Seu quà Cornipedem fræno Maluccius *vno,*
Atque hominum dulci tractat modulamine mentem.
Facundum qui tendit ebur, Chifellius *ille eſt,*
Qui rapidum effuſis agitat moderatus habenis

Coget, vt emerita deponat fulmina dextra.
At nitidum qui flectit equum, criſtiſq; comantem
In galeam ſurgit, trepidis cui fulgurat aruis
Cæruleus thorax, clypeiq; incenditur orbe
Campus, & erecta longè timor errat in haſta.
Hic Ludouicus *erit, manibus date Lilia plenis,*
Lilia Borbonio gentilia conſita campo,
Inſcriptoſq; Ducum magnorum nomina Flores.
Herculeas illum laudes ſuperaſſe ſuperbæ
Deflebunt Thebæ, ſpolioq; onerata Leonis
Mænala, & aſſertæ Nemeæa cacumina ſyluæ.
En illum comitata pari per prælia greſſu
Læta triumphalem ſubtexit Gloria laurum,
Et quà regales humeros, & colla flagellat
Tempeſtas pretioſa comæ centena reponit
Serta; Iouis quercus, & mitior vmbra corymbi
Olli crine fluit; quin ſe probat vndiq; & omnis
Annuit huic arbor ramis ſtudioſa ſupinis.
Aſt vno qui frenat equumq; Orbemq; lupato,
Altior hic tractat gemmantia lora Philippus,
Cui radijs fulgent crines, cui tempora circùm
Aurifero redimita Tago; famuluſq; prementes
Voluitur ante pedes, fractiſq; admurmurat vndis
Oceanus: primo quem littore Phœbus adorat,
Et cui nocte iubar commendat, & aurea credit
Lumina, in ipſius naſcuntur lucida regno,
Ipſius in ſolio placidè moritura quieſcunt

Sidera: cernis, equi deflere ſub vngue reuinctum
Heſperio dudum damnatum carcere Thracem?
Illinc mæret Arabs, illinc ſuſpiria miſcet
Belga, ſub Auſtriaco qui iam ceruice rebelli
Imperio detrectat onus: ſed prælia victor,
Quæ Genitor, quæ geſſit Auus, felicia complet,
Et toto crinem meus impedit Orbe Philippus.
Quis verò armipotens Hyrcano in ſanguine pulcher
Cornipedem vexat, diraq; aſpergine latos
Vndat agros, Getico domus immanſueta ſub Æmo
Quem tremit, & picta fulgens in veſte coronat
Gloria, Ductoreſq; catenatoſq; maniplos
Explicat à tergo, atque arma, exuuiaſq; receptas?
Hoc ne Getę Mauortis opus, cui bella ferenti
Dant ſyluę, monteſq; locum, pedibuſq; ſolutæ
In fluuios abière niues, Cœlumq; tremiſcit?
Fallor io, felix hic Ladislaus *ab oris*
Sarmaticis bello Odryſios deſcendit in hoſtes,
Me niſi Threïcius vertens ſua terga Tyrannus
Fallit, qui veteris repetens ſuſpiria palmę
Magna catenatæ deflet conuicia Gentis.
Quin & Boiaricis agit huc Regnator ab oris
Maximianus *equum, ſacriſq; inſudat in armis,*
Vt premat ardentem flammis Borealibus Albin.
In fera quem ſonipes rapido vehit agmina curſu,
Itq; celer ſic bella vehens, vt currat eodem
Fama gradu, flatuq; procul perſtricta gementis

Alipedis, trepidas belli cum murmure pennas
Explicet: illam etenim properans inſtigat ab alto
Maximianus *equo, & tergum ſimul increpat haſta;*
Vnde nouo trepidans gemat Hæreſis iſta duello.
Quis procul ille autem lauroq; inſignis, & armis,
Bella ferens? noſco armorum radiantia circùm
Lumina: iam torquet ſua fulmina Carolus, *ille*
Aggeribus venit Alpinis, & vertice Tauri
Deſcendens belli, paciſq; ſtat arbiter omnis
Italiæ. O ſi tanta animis deſueſceret arma,
Quantus in Æmonios inſurgeret enſe Tyrannos.
Ecce Subalpini Iuuenes noua gloria Gentis:
Ipſi habitu niuei niueos in bella fatigant
Cornipedes: hinc lora tenet Victorius, *illinc*
Frena regit Thomas, *rigidamq; aſſurgit in haſtam,*
Atque ſuos patrio metitur in enſe labores.
At, cui læta ſuos inclinat Etruria Flores,
Flauaq; odorata cui tempora prole coronat,
Igniuomum Fernandus *equum, & Florentia tractat*
Forti frana manu, ſimulacraq; Martia ludit.
Illius æquoreis ſecura Penatibus ipſa,
Et fateor, placidamq; trabam de munere vitam:
Nam quoties noſtri reſonantia terga profundi
Sulcat Etruſca ratis, nullus temerare quietem
Audet Arabs noſtram, & nullo Piratica puppis
Littore, nec patrijs audet conſiſtere ripis.
Hoc *nuper debere iuuat, dum flectit habenis*

Quadru-

Quadrupedem prima ſignatus flore iuuentæ:
Namq; vbi maiori iaculabitur arma lacerto,
Ardebitq; alijs ſonipes calcaribus audax,
Aſpiciam gauiſa tegi tunc puppibus æquor
Ionium, Siculumq; fretum, vel vt Æolus ipſe,
Non aliæ viles auræ, curuare laborent
Tot, tantoſq; ſinus, pinuq; latere ſub omni
Æquora turrigeris vix ſuffectura carinis:
Scilicet Italico toto tunc ibitur enſe
In Scythiæ iugulum, & rigidæ præcordia Thraces;
Victor & hinc alias terras ſibi quærat, & Orbes
Fernandus, *tantis neque par virtutibus vnus;*
Quot vexilla ferent, totidem imperet Orbibus ille.
Hic ſublimis agit, ſpatioſaq; lumina complet
Barberinus *equum Princeps, qui prouocat Euros.*
Aurea cui fræna effulgent, phaleriſq; ſonantes
Miſcentur phaleræ, & phaleris inſternitur oſtrum;
Sanguinea virides expumant fauce ſmaragdi,
Vngula ſuppoſito greſſum ſuſtentat in auro,
Hortanteſq; preire tubas, duriq; minatur
Eluuiem campi; viſus nec degener illo
De grege Phœbæo, qui nubila nauigat audax,
Auditoq; cibum indignatus Apolline liquit.
Illum Roma cupit ſibi, tellus Itala poſcit.
Aſpice, quanta ſuo ſcintillet ab æthere flamma
Æternum teſtata decus? viden aurea purum
Qualia per Cœlum decurrant omina circum?

VRBANVS, *quæ læta vocat, Cortina Tonantis,*
Terrarumq; ſalus, atque huius amabile mundi
Numen, & æterni vox Numinis, ille recludet,
Cumq; ſuo ducet mundo noua ſæcula Sole,
Dum magis inſano bacchabitur excitus Orco
Cunctorum in terris inamabilis ordo malorum;
Seu quà nil non auſa fames, & prælia regnant,
Seu quà vecta Erebo poſuère cubilia peſtes.
Inde Columniadum geminos de Germine Fratres
Aſpicis: ipſe ſuum hinc moderatur Carolus, *atque hinc*
Proſper *equum; ille atro Belgarum ſanguine campos*
Vndabit latè, & rapidi veſtigia curſus
Funere tardabit multo, melioraq; pugnans
Prælia iam victor priſcos penſabit honores.
Hic autem in ſeſe conuertit lumina Romæ,
Ominaq; & lætæ iam Proſpera nomina pugnæ
Exprimet. En gaudet Maiorum prælia ludens
Hiſpano ſublimis equo, cui melleus ambit
Membra color, cui pompa iubæ, cui plurimus auro
Fulgor, & arcano florentes lumine gemmæ:
Illos pugnantes dudum ſibi deſtinat Hebrus,
Abiectiſq; procul tremuerunt Bactra pharetris.
Ille, viden, qui facta diù veſtigia Pindo
Torquet marmoreo referens pia munera Templo?
Iuſtinianus *equum flectit, qui frena remordet,*
Armeniamq; refert Patriam, Tigrinq; ferocem.
Ille docet mores, & equorum robur, & artem,

Auſonius

Auſonius quæ diſcit eques, memoratq; magiſter.
Thracis enim rabie, ſceptro deiectus auito
Helleſpontiaco linquit regnata Tyranno
Littora, & Ægæas ſua quà Chios aſperat vndas,
Mæoneque illa ſuo, natoq; ſuperbit Homero,
Auſoniamq; petit, veteriſq; cacumina Baſſi,
Quà templum ſublime locat, fundataq; nuper
Ardua Vincenti ſubit æthera Numine moles.
Illum, ſeu ſublimis equum compeſcit habenis,
Siue Caledonios iaculum molitur in Vrſos,
Obſtupeat noſtro diſcreta Britannia mundo,
Vltimaq; horriſono miretur in æquore Thule;
Et quæ dant Soli nocturna cubilia Gades;
Cùm iuuat vndiſono percurrere tramite Peucen,
Atque alijs tranſuecta ſalum veſtigia terris
Figere, quà medio ſpumat glacialis Hyberne
Oceano, & longè ſubeuntibus Anglia candet.
Hìc autem Aonia redimitus Daphnide crinem
Stat laudatus equo, Gabriel, *cognomina fecit*
Cui mare Maurorum genus alto à ſanguine Regum,
Hiſpanus nitidas ſonipes cui lambit habenas
Impiger, & curſu certantes prouocat auras.
Sed vidit procul è Cælo, inuiditq; tuendo
Pegaſus, ille equitem, melioraq; pondera paſſus
Optaret flecti, magnumq; Helicona ſubiret
Lætior, vt medijs ſeſſorem inferre Camænis
Poſſet, & aërij luſtrare cacumina Pindi:

Seſſor

Digitized by Google

Seſſor enim Phœbi comes, & ſacer artis alumnus
Aoniæ, citharæq; manus inſertus eburnæ
Fila mouet, proprieq; canit naſcentia laudis
Semina, Theutonicus veluti præcepta magiſter
Signat, Apollineas cùm Canſpergerius *illi*
Extremo expertas protendit pollice chordas.

Nec tamen Auguſto, Pallas vicina quod ornat,
Deficit Alphonſus *de ſemine: cernis, vt altè*
Inſidet acer equo? Puero quantum inſtar in illo eſt.
Macte animi: relegis iam nunc ſecreta ſenectæ
Cecropiæ; & quicquid non reſponſura Lyceo
Porticus effudit, deſudarantq; labores
Quicquid Ariſtotelis, reuocaſq; exordia mundi,
Quid Cœlum immoto ſemper Motore rotetur,
Quidue ingens vndis arctetur littore pontus;
Quo ſecum in ſeſe libretur pondere tellus,
Quidue per effuſum [illegible] aëra moles:
Seu magis eloquij iuuat arua per ampla beati
Currere, qua ditat felix opulentia linguæ,
Ambroſiæ quà vena fluit, camposq; redundat
Diues in ingenij, facundaq; pectora torrens
Complet, & immenſum iam ſeſe expandit in amnem,
Impius horreſcit qualem Catilina fluentem,
Cùm tanto immerſus bibit alto in flumine lethum.
Seu magis arridet collis, quà ſaxa vocauit
Amphion, aut æra tubæ quà ſpiritus inflat
Mæonius, citharæ vel quà tumet ille Tyrannus

Pindarus

Digitized by Google

Pindarus Actææ, carpitq; per aſtra volatus
Dædaleos, totámq; trahit ſuper æthera mentem.
Hæc modò: ſed paules, cùm laudibus æmulus annos
Maiorum vrgebis, minitantem in prælia dextram
Impelles. Series tibi limen honora Parentum
Expediet, Martiſq; nouos tibi priſca parabunt
Ad titulos exempla Patres, ſeu maior in arma
It comes Auguſto, atque Italas vehit acer in oras
Germen Adalbertus, ſeu quà imperterritus armis
Inſubres Arces, Ezelinumq; ferocem
Percutit Vbertus: proauus ſeu Sfortia laudem
Quà parit, & compar ſortitus ab æthere nomen
Frater Muſarum nunquam peritura voluptas;
Qui laudum præcepta dabit, tantiſq; docebit
Mentem implere Ducum meritis, & magna recludet
Semina: vade Puer, tantiſq; aſſueſcere donis
Gaude alacer; Patrum, maioraq; diſce mereri:
Nam nec erit virtutis amor monitore petendus
Externo tibi, cognatam cui Gloria præbet
Laudem animo: quærant alij Pyrrhoſq; feroces,
Annibaleſq; truces, reduceſq; ab ſtrage Camillos
Gallorum, Brutoſq; feros, & fulmina Martis
Scipiadas, tu diſce tuos: tu quære Parentem,
Et quæ magna tibi ſignat veſtigia Frater.
Nec procul it Rhaphael, *fallunt niſi candida magnæ*
Signa Crucis, radijs quæ circumfuſa coruſcis
Purpurat Odryſio de ſanguine: quamq; figurat

In

In clypeo Spinam, Thracum demerſa cruore
In rubram redit illa roſam: namq; omnia latè
Sternacem dum flectit equum metit obuia ferro
Agmina. Sed dic, Natus ait, quid candida, mater,
Signa ferunt? Iuueni quis pectore candicat albor?
Tunc ſic fata Parens. Non eſt mortale, quod optas
Nate, ſed interea, quoniam iuuat, accipe cauſam.
Tempus erit, Solymis cùm Chriſti in iura receptis,
Nobilium capita alta Virùm, & delecta potentum
Pectora victrices iungent in fœdera dextras,
Vt coniurato compeſcant agmine Mauros:
Quos Equites, quoniam Mantini in regna Tyranni
Accreſcent Solymæ; medio Rhodos ardua ponto
Excipiet, Rhodia ſed rurſum ab ſede repulſos
Accipiet Gaudos, Melitæq; immobile ſaxum,
Quà Melitæa Cohors tunc in ſua iura vocabit
Magnanimos Heroas, & alto à ſanguine Pubem,
Qui toto Odryſias auertant æquore turmas,
Atque illos inter Raphael *mucrone coruſco*
Scrutatus latebras Arabum ſua monſtra Barathro
Reddet habere truci, Titaniaq; aſtra micanti
Increpitans longè gladio Spinam vndiq; perget
Gentilem Italiæ poſthac prætendere ſepem.
Aſt age, tu nate huc animos, & lumina verte,
Quà Puer haud longè Patris præcepta fatigat,
Flectendoſq; addiſcit equos: hic, Maxima proles,
Carolus *eſt, frontiſq; apicem, & veſtigia magna*
Indolis

Indolis agnoſco: placidis locat otia Muſis,
Argolicamq; chelym, & Latij monumenta Maronis
Perlegit, atque vtrumq; Heroa recenſet, ibiq;
Quicquid mox imitetur, habet, cum iuſſa ſequetur,
Excultaſq; iuuat mentem exercere per artes.
Seu vacat immenſos radio perſcribere gyros
Terrarum, tractuſq; maris, Cœliq; meatus,
Oraq; perpetuò viuas animantia telas.
Ille autem, parili quem cingere fronde capillos
Cernis, in Aonias frana aurea dirigit oras
Gregorius *Phœbi, Patruiq; exempla ſecutus:*
Ni maior Phœbo Patruus, qui tempora lauro
Induit, & ſacro laurus intexuit oſtro;
Cui tamen & meliora paret diademata virtus.
O quantùm felix adoleſcit Gloria tecum
Spada, *ſibiq; nouos gaudet ſpondere nitores:*
Namq; tibi anguſto de pectore maior inundat,
Nec ſe animus cohibet primis ingentior annis,
Nec mentem capit ipſa tuam, quæ te capit ætas.
Gratatur te Roma ſibi; non murmure trunco
Quod rogat, in centum cupit ora pateſcere tellus.
Iactat & hic alios etiam Parnaſus Alumnos.
Seu quà flectit equum, plectrumq; Theodolus *vrget,*
Seu quà Cornipedem fræno Maluccius *vno,*
Atque hominum dulci tractat modulamine mentem.
Facundum qui tendit ebur, Chiſellius *ille eſt,*
Qui rapidum effuſis agitat moderatus habenis

Digitized by Google

Cornipedem Scaldis depaſtum gramina ripis.
Quiq; lyram lauro modò circuit, ille canoro
Paulus *ab ore ſonos, totamq; impellere Cyrrham*
Gaudet, & hinc docto conuulſus Apolline mentem
Teſtius *alternùm ſonat, & ſua carmina miſcet.*
Pieriiſq; modis ſua Tronſarellius *auget*
Carmina, quem mediis Helena ſatus aduocat aſtris,
Aurea quò geminos in carmina prouocet axes,
Et canat Auguſti iam decertata Tonanti
Bella Patri, faciliq; exercita pralia Cœlo.
Vſque adeo geminas ſociauit Pegaſus artes.
Sed quid ego hæc memoro? Longùm enumerare, vetorq;
Ire per omnem Equitum laudem, ſed plurima paucis
Complectar, quando hic te plurimus excitat ardor.
Qui ſenior ſurgit quà Vaticanus in auras
Arte fatigat equos, & curam collocat omnem,
Temperet vt fræno faciles, dociles q; teneri
Legibus, aſpectum melius quò mitia equorum
Aſperet ora lupis, doceatq; inflectere greſſus;
Cæſar *hic eſt, noſco vultus, incanaq; longè*
Tempora, hic ille Equitum Cæſar; *neque Cæſaris impar*
Nomine: iam tanto vellet ſudare magiſtro
Cyllarus, aſtriferumq; procul iam linqueret Axem
Pegaſus, & toto remearet ab æthere curſu.
Quem iuxta ſequitur ſocians præcepta Camillus,
Sternacemq; impellit equum, atque in puluere lato
Comprimit, & multo docet aëra quærere ſaltu,

Sardoo

Sardoo quem terra dedit vallata profundo,
Cui ſatis irarum, cui non it viribus infra
Spiritus, aſt oculos, totoſq; infuſa per artus
Exiguo virtus in corpore plurima regnat.
Cernis vbi quondam populis dedit ipſa Latinis,
Amphiteatrales Romana potentia pompas?
Hìc altos glomerare gradus, tardoſq; mouere
Cogit equum, cornuq; ſolum pulſare ſonanti
Hippolitus: *ſed ibi, quà Pincius aſtra laceſſit,*
Proſper *agit multo compreſſum in puluere frænis*
Cornipedem. Nec te indictum Franciſce *relinquam:*
Nec te equitum Cinquine *genus; qui Patris, Auiq;*
Laudabit quos Roma viros, prægreſſus honores
Magnarum cumulas Iuuenis primordia laudum,
Quas illi meruère ſenes: longèq; relictis
Anteis: hoc equitem naſci eſt; quem patria virtus
Intulit in campum, quem primo ab limine vitæ
Inter anhelantes aluit iam Circus arenas,
Reptaſtiq; per ipſa puer ſpatia aſpera campi,
Vagitumq; alacres ſæpe agnouere Palæſtræ:
Vixq; tuos firmare gradus te ſedula Mater
Edocuit, cum tu poteras iam certus habena
Flectere cornipedem, greſſuſq; docere ſuperbos.
His Hirthae ſibi ſeris gratabitur annis
Roma Viros, quorum ſeruant hæc ſæcula nomen.
Iunxerat interea manus obſequioſa iugales,
Qui iam ſpumiferos glomerant ad limina greſſus,

Attolluntq; artus, indignanturq; morari.
Et currum iam Diua petens inuitat eodem
Hirthæum: arrecti rumpunt fera pectore Piſces
Æquora: at Argolicæ ſcrutantes littora terræ
Excepit Lemnos. Nigro hic Vulcanus in antro
Exercet chalybem: medium domus ardua montem
Perforat, atque antrum longo teſtudinat arcu.
Æſtuat in medijs latè fornacibus ignis,
Et Brontes vaſta, Steropeſq; incude laborant.
Ipſe Deus verſat candentem forcipe maſſam,
Quæ varios igni formanda liqueſcit in vſus.
Horrendùm ſonat excuſſis incudibus antrum;
Mugit humus, terriſq; ingens redit æquoris Echo,
Ægida vbi formant, aut hos dureſcit ad ictus
Terrarum terror non euitabile fulmen,
Et Cœli claues, quibus oſtia magna pateſcunt,
Immittuntq; imbres, tempeſtateſq; ſonantes;
Hic Aries ingens, ponduſq; immane Tridentis,
Terrarum quibus, & mariam ſolita vndiq; ad ictus
Fundamenta quati, centumq; horreſcere motus.
Hunc Morgana petit, Diuoq; ita voce profatur.
Mulciber ignipotens, ſi proles vllà parentem
Te fecit, Matris ne reſpue vota precantis,
Proq; mea tenuem prole exercere laborem
Te iuuet, aduenio ſupplex, & fortia nato
Frana rogo genitrix. Gaudent tua numina matrum
Accepiſſe preces. Thetis arma rogauit Achilli

Perpe-

Digitized by Google

Perpetuiſq; illi iam deſudare caminis,
Et licuit vigiles operi traducere noctes,
Vt Puero tandem (libeat tua dona fateri)
Arma laborares, rueret quibus Ilium, & ingens
Troia, tuæ quamuis ſub Numine Coniugis eſſet,
Et conſanguineum ſibi iam iactaret Olympum.
Ilicet & vaſti molitus imagine mundi
Es clypeum, totumq; illi labor indidit orbem,
Immenſi ſpatia alta maris, ſpatia ardua Cœli,
Terrarumq; ſinum, & varias cum ciuibus Vrbes,
Iura Poli, rerumq; ſidem, lux aurea mundum
Luſtret vt, & fuſcis nox occulat atra tenebris;
Vt maior fuerit labor effinxiſſe ſuperbum,
Quam feciſſe orbem, & magnum extendiſſe profundum.
Quin etiam criſtis galeam fabricaſſe comantem
Diceris, & placidos cinctus, & mitia pacis
Munera, & in centum Puero flexiſſe metallum
Ornamenta tuum, quæ poſt bella effera Graios
Geſtaret Reges inter, tantoq; niteret
Munere conſpicuus. Nato quoque pulchra popoſcit
Arma Venus, nulliſq; illa exſuperabile telis
Scutum ingens habuit, quo tu decora alta Nepotum
Cælaſti, & laudes, Romanorumq; triumphos,
Et quod cum Diuûm diuiſit Roma Parente
Imperium, quod habet ſolum confinia Cœlum.
Aſt ego quamquam iſtis non par Morgana Deabus
(Sed tamen ipſa ſuo ſunt me dignata ſubili

Nu-

Numina, & ipſe Deus, regni fortuna ſecundi
Cui ceſſit, teſtorq; ipſum, qui proximus vndat,
Noſq; ſuis præcingit aquis, commune Parentis
Nomen habet mecum, quo patre Hirthæus in auras
Editus eſt) illi tantùm rogo ſedula frænum
Mater, habet centum, ſtudio quos flectat, & arte
Cornipedes: nimium ſed habent ea fræna rigorem,
Quæ tractat, ſonipeſq; nimis ſeſſoris habena
Sæpe fatigatus quatit obluctantia fræno
Ora, vaguſq; negat domini ſeruire lupato.
Hæc tu damna potes nato reparare precanti.
Iamq; iſſent in verba preces, niſi Mulciber ore
Riſiſſet placido: dabitur, Morgana, quod optas,
Inquit; ab Æthereo nam cùm deiectus Olympo
In terram ruerem (quando id voluere ſeueri
Iuſſa Iouis) me ſpumoſis Neptunus in vlnis
Excepit; nec me ſupera de ſede minorem
Depulſum ſentire ſinit: ſed damna rependens
Patris ab Eurynome, Nereoq; in littore paſci
Lemniaco iuſſit, ſedemq; locauit in vndis.
Hæc vbi dicta dedit, ſudare Cyclopas in antro
Imperat, vt frænum condant. Fornace liqueſcit
Æs media, informantq; alternis nobile frænum
Ictibus, & multus labor omni impenditur arte.
Maſſa rudis primùm, rigidoq; domabilis igni
Mittitur in prunas; tollit mox pondera follis,
Concipit ille animam, prægnanſq; fit ilicet aura,

Conce-

Conceptamq; parit, nutritq; ferociùs ignem:
Dein trahitur maſſa è pruna, atque incude ſonanti
Verſatur, crebroq; niteſcit vulnere, vulnus
Formam indit, flammaq; chalybs iuueneſcit, & ictu.
In gemina abſcindit totum ſe brachia frænum,
Augetq; in ſpatium ſeſe palmare, nec ornat,
Nec faber intorquet chalybem, ſed læuigat illum,
Molleq; cudit opus, nullaq; exaſperat arte,
Ni quantum lambit, leuiter tamen, anſa palatum
Tortilis, & geminos troculos complexa reuincit
Dentibus in medijs, atque vtraq; brachia nectit.
Maior at alipedis quæ ſæpe catenula mentum
Tractat, vt immotum caput arte coërceat, illa
Deficit in media plus parte, plicatile ferri
Quà ſe pondus agit, curuatq; extrema politus
Ferramenta chalybs, & perficit acrior orbem.
Hoc dedit Hirthæo frænum Deus, illius oras
Cum dono Auſonias repetit, tantoq; ſuperbit
Munere, cui ſeruit ſonipes, & crura reponens
Lætior it ſtudij, & tantæ felicior artis.
Aſt, vt cornipedi moderator in ora lupatum
Inijciat, rectèq; impellat mandere frænum,
Ad læuum accedat primùm latus: inde per ora,
Paulatimq; caput circùm ſecurus habenas
Incutiens ſummis illas deponat in armis,
Et dextra tollat lora ardua verticis, oriq;
Admoueat, ſed lenè, lupos, quos ſi bibat vltro,

Omnia

Digitized by Google

Omnia tunc rigidi ſonipes retinacula freni
Induit, & domini tunc iuſſa fatigat anhelus:
Pandere ſi verò renuat ferus ora, tenaxq;
Obtutu premat illa ſuo; cùm frena laboras
Dentibus inſerere, aduerſas tu pollice læuo
Gingiuas preme: tunc multo laxabit hiatu
Ora, vel impingas leuiter labra horrida primis
Dentibus, vt leges, & frena ſonantia curet.
Verùm Cornipedis frenum ſic hæreat ori,
Vt nil ſenſus equum fugiat, neque mordicùs inſit,
Incumbatq; genis, vt in aſpera vulnera callum
Obducat, nimiùm neque frenum ita defluat ore
Extremo, vt reddat fugientis colla lupati
Libera ſeruitio, & nullius conſcia legis.
Sed phaleras Liber docuit, primuſq; triumpho
Vſus, vbi redijt ſpolijs Orientis onuſtus.
Nempe triumphatum poſtquam pede fortior Indum
Calcauit, curruq; ferox Garamantica preſſit
Limina, & in rubris thyrſos defixit arenis,
Thebanas victor cùm ſigna referret ad arces
Indica Lenæum geſtauit bellua Patrem,
Gnoſia cui phaleras Diuo latura decorem
Molita eſt Virgo, & patrio armos induit oſtro;
Cui pretium ſatis auget acus, ſatis aſperat Indus
Fila lapis, florenſq; arcana luce pyropus
Inſcriptumq; notis, picturatumq; metallo
Viuit opus, variatq; ſuis decora alta figuris.

Nam

Nam Virgo hìc Bacchi magnos poſuiſſe triumphos
Fertur ſollicitas vrgens in munera telas.
Illa etenim, medium quæ Zona elephanta reuincit;
Naſcentis præbet prima incunabula Diui.
Illic armatus triplici ſtat Iuppiter igni,
Fulguraq; attritis iam iam micuere procellis,
Omniaq; ad pompam trahit huc ſua fulmina ſecum:
Statq; pauens Genitrix, quodq; ante optauerat, odit,
Et piguit nouiſſe Iouem per fulmina Patrem.
Iamq; Puer Semeles obſtetricantibus vltro
Fulminibus, flammiſq; parantibus vndiq; cunas,
Exoritur de matre priùs, dein Patris in amplum
It femur, vt, quotquot deſunt, ibi compleat orbes.
Parte alia nymphas inter ſub vertice Nyſæ
Per thyrſos reptat, mox imperat Orgia circùm
Iam furere, & latè clamore implere ſonantis
Antra Cythæronis, ſpelæaq; nigra ferarum,
Spernentemq; ſacras laniatum corpore pompas
Penthea cernere erat, trahit hinc tota agmina Nyſa,
Et Gangen vltra, Gentiq; illapſus Eoæ
Victor it in populos, Nilumq; Indumq; reuincit
Legibus, extremoq; hìc vſque à culmine Lunæ
Vrget aquas citior Tigris, quò damna pudoris
Æquoreis victus velocior occulat vndis.
Quin etiam ſeſe inſeruit Minoia telæ;
Illa ſed erubuit, nec diſplicuëre rubores,
Vſque adeo placuit longùm meminiſſe laborum.

Inſula ab Ægæo ſurgit, ceu filia ponti,
Quam Genitor lambit, circùmq; amplectitur vndis,
Naxos, vbi tumido ſerpens per littora cornu
Fluctuat, inq; ſalo ſeſe miratur Iacchus,
Impoſitaſq; vndis ridet ſpumantibus vuas,
Quas ſæpe è medio Nereides æquore carpunt.
Hìc autem curuo deluſa in littore Virgo
Stat lacrymans, Graiamq; nihil iuuat vſque mariti
Imploraſſe fidem, longè qui terga profundi
Argolica dirimit rate, quæ fugit acta per vndas,
Paulatimq; minor fit: triſti Virgo carinam
Proſequitur viſu, donec ſeruantia vincit
Lumina, & extremi pinus ſe margine Cœli
Occulit heu vanas non auditura querelas.
Tunc autem æquoreas Liber deſcendit in oras,
Solamenq; dat, & lacrymis diſcrimina ponit,
Lugendiq; modos: meliori Coniuge Virgo
Gaudet, & in Baccho penſat bona damna prioris,
Atque inſerta Polo ſtellis radiare nouenis
Lucida ſerta videt, ſenior quæ conſerit aſtris
Arctophylax; atque illa, vocat dum Scorpius, axem
Excipiunt, pigriq; illuſtrant terga Bootæ.
Iſte trimphantes in Reges transijt vſus,
Accepitq; priùs Rector Pellæus, Eoum
Qui domuit Porum, & victam pede Perſida preſſit.
Ille audax, vnoq; regi indignatus Olympo
Concipit innumeros, animo quibus imperet orbes,

Iamq;

Iamq; hominum ſupra ſortem, quas fecit Iacchus
Tranſgreſſus metas Bacchi ſimulaſſe triumphum
Fertur, & æternos Diuûm mentitus honores.
Exin communes paulatim fluxit in vſus;
Quodq; erat ante Deis pompæ, natiſq; Deorum,
Fit vulgare decus, ſacriq; hæc tegmina cultus,
Vſus vbi in populos migrauit, Ephippia Graius
Dixit, & Auſonijs quoquè nomina tranſtulit oris.
Quiſnam autem ferramentis lunaribus vngues
Magnanimis armauit equis? Salmoneus olim
Ionium iuxta, quà collaudata Tonanti
Argolicis Elea dabat certamina Pubes,
Cornipedum curſu pontem molitus equorum eſt,
Sidereoſq; ignes, & non imitabile fulmen
Aſſimulaſſe ferunt, & quò magis ille fragorem
Mentiretur, equis ferratos indidit orbes.
Dein populis placuit mos ille; quod aptiùs vngues
Seruat, & aſſiduum meliùs quatit vngula campum,
Præcipuè bellator equus cùm pulſat iniquo
Vngue ſolum: ſi quando ferox pede poſcit ab Orco
Pugnaces Veterum Manes: aut vngue ſepulcrum
Hoſtibus ille fodit, quo poſſit condere victos.
Interea hic dulcis, dictuſq; ante omnia campus
Me teneat lato flectentem in puluere gyros,
Dum Rhegina meis arrident otia Muſis:
Conſpicuas Heros quondàm quà Caſtrius Arces

Digitized by Google

Condidit, & tanta tuta hoc molimine molis
Æquora Sicanij fecit vicina profundi.
Scilicet Odryſijs cùm claſſibus æquor anhelat,
Vertice vbi toto Rhodope deſcendit in vndas,
Monſq; vacat plantis minor, & minor ardua ramis
Sylua, Æmiq; natant pelago fera robora duri
Italiam contra; moles procul arceat hoſtem.
Alter amet lucos, celſiq; cacumina Pindi,
Pimplæoſq; lacus, habitataq; culmina Phœbo,
Atque illi cunctos Helicon indulgeat amnes.
Nempe alij montes, melioraq; munera Pindi
Hìc me ſemper habent, ſurgunt vbi marmore fontes,
Perſpicuiq; micant, quos æquora proxima lambunt,
Nec tamen inficiunt, dulces neque tangit amaror.
Hìc ego Pegaſeum moderabor Adonida fræno,
Quem Patruus quondam miſit mihi munere Cæſar,
Cui Pater eſt Eurus, rapidoq; citatior Euro
Aura parens, & ſeſe de grege iactat Ibero:
Aurea cui crinis permiſſa ſuperbia longè
Curua renidentes per colla redundat in armos;
Ille hìc ſæpè ſua liber ſub lege pererrans
Aut ſuper arua pedem rotat, aut ſuper aëra greſſum,
Et Labyrintheos agitat per compita gyros,
Quos ego percurrens curſuq; & carmine mecum
Sæpe meas cogo Latias equitare Camænas:
Nam tenui Muſam calamo meditatus equeſtrem

Pulue-

Pulvereæ video Phœbum inſudare Palæſtræ,
Otia qui mecum peragit tranquilla, iubetq;
Quadrupedem duci, & gyro leuiore minantem
Eludit, tractatq; lupos, orbemq; figurans
Circinat in gyros campum, gyroſq; retexit;
Atque habet ipſa ſuum terreſtris Eclyptica Phœbum.

ARGY-

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

PAlæſtram ingreſſurus, equorumq; exercitationem Templum ait condere ſe velle in Patrio ſolo, ibiq; res à Franciſco Cardinale Barberino geſtas inſcribere. Docet equos inflecti, melioreſq; palæſtræ vſus oſtendit. Saltatorem equum Auguſtini Bonuiſij laudat. Inſtruuntur equi ad bellum. Indolet vſum moderationis equeſtris degeneraſſe in luxum. Probat minimè equitandum, cùm equi de pernicitate certant. Diſcrimen profert Amphidamonis, qui Neptuni equum in ludis, quos edebant Brutij Neptuno ſacros impulit in curſum, Equuſq; cum puero in mare ſe dediſſet in præceps, niſi à Neptuno mutatus fuiſſet in ſcopulum equina preſeferentem imaginem, extatq; in agro Rhegino, & Turris Equi nuncupatur. Docet equitare pueros. Refert Ocyroës fabulam Chironis filiæ. Deflet obitum Cæſaris Caſaleni in equeſtri moderatione præceptoris ſui. Refert etiam ortum Pegaſi. Laudat Vrbem Neapolim ex ludorum equeſtrium vſu. Deplorat incendia Veſuuij, & Europæ calamitates.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI S[illegible]CI

HIPPICON

Liber Tertius.

AST, vbi cornipedes ſpumis fucare lupatum,
Atque hominem didicere pati, procul impiger illos
Flectat Equès, ſonipes vt non exterritus intret
Pulueream longè ſuccuſſaturus Arenam.
Nunc age, tu pelagi Rector Neptune canentem
Diue mone, tu mitis equis (ſi certa priorum
Fama patet) fregiſſe tuis quondam ora lupatis,
Ioniјq; leui domitaſſe in puluere ponti
Diceris: hac ergo ſudare parumper arenà
Par tibi rurſus erit: neque enim generoſior vnquam
Sudor ijt. Tentanda via eſt mihi, quà bona poſſim,
Et ſenſim meliora ſequi; nec vulgus inane
Inter, & ignauas hominum ſordeſcere curas,
O qui me populis, & habenti nubila terræ
Eripiat, celſoq; euectam lumine mentem
Donet inacceſſos Muſarum inuadere colles,
Ingenteſq; aperire vias, & Equiria cantu

Complere,

Complere, & magnæ iam dudum aſſueſcere famæ.
Primus ego Latias Rhegina ad littora Muſas,
(Si quid fulta chely poſſunt mea carmina) ducam,
Nec renuunt fata, atque audit mihi dictus Apollo.
Primus ab Aſcræis rediens felicior oris,
Quò mens me traxit, laudumq; immenſa cupido,
Æterni ponam decus immortale trophæi,
Templum ingens, Scyllæ ſpirant vbi leniùs iræ,
Et minùs audet hyems, noſtras quæ lambit arenas,
Chalcidaſq; leuis venerata reuoluitur Arces.
Hìc autem in medium luctabitur aëra moles
Ardua, & Eoo muri de marmore ſurgent,
Quos gentile fretum lenioribus alluat vndis.
Qualia nec gemini Templa hìc habuere Lacones:
Illa licèt ſummo ferientia vertice nubes
Infererent aſtris caput, & confinia Cœlo
Mutua communi traherent incendia flamma:
Diruta enim triſtis ſenſerunt damna ruinæ,
Flabraq; non vno dilata furentia caſu:
Aſt hæc fortunæ ſecura volubilis aſtra:
Tanget inacceſſo moles contermina Cœlo,
Quam neque laxatis vnquam imperioſus habenis
Sæuus inocciduo mihi Mulciber obruat igni,
Nec belli furor, ætatiſq; iniuria ſeræ,
Centenoſq; ruant voluentia ſecula motus;
Hanc Domini Genius, fortunaq; regia ſeruat.
In medio FRANCISCVS *erit, facturus honorem*
Ipſe

Digitized by Google

Ipſe loco, molemq; & ſe ſuper ipſe locabit.
Illi ego magnorum ingreſſus veſtigia Vatum
Deducam Latias ſublimia victor ad oras
Taygeta, & riguis liquentia Manala riuis.
Optatoſq; aditus Muſarum, & Delphica latè
Templa, Sibyllinamq; domum, Pimplamq; ſonantem.
Et magnam Aoniam, & toto cum Numine Pindum.
Cuncta mihi Alphei ripas, Ephyreaq; linquens
Littora ab Oenomai migrabit Græcia campo.
Ipſe etiam veniet, quamquàm atro puluere ſordet,
Piſæis olim Rector metuendus habenis:
Atque ſuos Epidaurus equos, ſua Thracius Hebrus.
Huc armenta vehet, Spartanaq; deſeret arua
Cyllarus, èque ſalo veniens properabit Arion.
Ac fortaſſe ſui radiantia paſcua Cœli
Linquet, & aſtriferæ præſepia Pegaſus oræ;
Et me Cornipedes curſu properante ſequentur.
Fluctiuago quondam quà diſſociata profundo
Brutia Sicelidem longè ſtupet ora Charybdim,
Et riguos campos, & amœna vireta Peloros
Cernit, vbi dulces viuunt in littore fontes,
Totaq; ridet humus, ſeq; inclyta Vere coronat:
Seu mage candidulis argentea floribus illa eſt,
Seu mage conſpicuis ſeſe induit aurea pomis.
Scilicet hic veteris ſunt aurea ſemina ſæcli,
Aurea vbi ſemper tellus in ſæcula ſurgit,
Cui Libanus cedros, cui dat Panchaia ramos.

Hic ego FRANCISCVM *proprijs ſuper æthera tollam*
Laudibus Auſonias dignatum vertice laurus.
Tunc mea fatidicæ ſalient ad carmina quercus,
Totaq; montano deſcendet vertice ſylua:
Ipſe ſuum nidus cycnum vehet, ipſa columbam
Turris, & aſcenſo taurus properabit aratro.
At Templi in foribus vaſtantia prælia magnam
Italiam ex auro faciam, exundantiaq; arua
Sanguine, vbi nimium minitatur prælia Mauors;
Abruptaſq; ferox ſpirans immaniter Alpes
Rurſum cognatas impellit in arma phalanges;
Vinci vbi erit miſerum, nec erit viciſſe decorum,
Victus at in lacrymas eat, in ſuſpiria victor.
Hinc longum metitur iter FRANCISCVS, *& oras*
Currit Aquitanas, Rhodanus quà prepete curſu
Raptum Ararim portat, pelagoq; immittit hianti.
Hic ſua currentem Ludouicum *in vota repoſcit,*
Vt pacem colat, iratiſq; faceſſat ab armis.
Hinc & Sequanico dudum vernantia campo
Lilia quærit Apis modò libatura ſaporem
Nectareæ pacis, pacataq; pabula vitæ:
Quos Apibus fruſtra vetuit natura liquores
Namq; modò dulces irrorant Lilia ſuccos
Fortunæ melioris opes, ſudataq; Cœlo
Balſama, vt aſtrorum referent comercia terris.
Mox petit Hiſpanas Arces, & Regibus Hoſpes
Adſtat, & ipſe ſuos ſubmittit ab æthere anhelos

Olli

Digitized by Google

Olli Phœbus equos, fluidoq; arridet in auro
Amne Tagus flauō, pretioſaq; munera lymphæ
Ingeminans totam iam prodigus excutit vrnam.
Iamq; Amnis gaudet felicior Hoſpite tanto,
Quàm, quòd nocte ſuo defeſſum Hyperiona fluctu
Excipiat, fluuio cùm Sol illuſtre comarum
Depoſitum credit ſi fortè iugalibus vndas,
Paſcuaq; & fruges meritis promittit Iberas.
Iamq; vocat pacem, minitantiq; vltima letho
Eripit Italiam, & reddit cultoribus agros:
Quin & Hyperboreo damnatum frigore Martem
Eijcit, vt Getica tumidus ſe iactet in Aula.
Addam Vrbis curam, proſpecturumq; ſaluti
Romanæ ſtudium, cum tabe oppreſſa cruenta
Oppida deflerent vergentem in funera vitam:
Et, dum Romam vrget Cereris decocta ſupellex,
Ilicet vt varij complerent horrea venti,
Vt propè deficerent ſulcata tot æquora remis.
Interea reuocent primæ mea carmina curæ
Securæ maiorum operum, gyroſq; canamus
Cornipedum, vt lato compreſſi in puluere duris
Frangantur frænis, habiliq; regantur habena.
Primus erit longùm labor impendendus aperto
Puluere, & indoctos ſuccuſſu impellere Pullos,
Quà pandit ſe læuis ager, planoq; recumbit
Terra ſolo, & lato diſcluditur area gyro:
Par erit & ſulcis ſurgentibus interciſum

Dirigere in campum, & recto dimittere tractu:
Sic etenim diſcet ſonipes ſuſtollere greſſus
Altiùs, & terra cornu inſultare ſonanti,
Illum at ſollicitet ſeſſor, frænumq; relaxet,
Et funes tantùm tractet, curtumq; capiſtrum
Parca manus: ſed non incumbant brachia funi,
Ne ſonipes legem, dominumq; ſubire recuſet;
Sed caput argutum ferat, immotumq; reponat.
Ac, dum ſuccuſſat campum, veſtigia pullus
Addiſcat calcare Ducis, Dux alter euntis
Fiet equus: nimio ſapiens ſed parce labori,
Nec tenerum totis animiſq; & viribus illum
Exhaurire licet, nam refractarius inde
Redditur; hinc nunquam pullus flectatur in orbem,
Ni tamen hic Orbis ſpatium ſe pandat in amplum,
Vt vix ſe agnoſcat gyrum petijſſe patentem.
Quòd ſi luctatur, ſtrictoq; reuoluitur orbe
Ire negans, neque verberibus, ſtimuliſq; coactus
Frangitur, at campum quatit irrequietus, & exlex
Crura inter ſubigit caput, & vexantia frænos
Ora terit, ſaltuq; furit, vel ſubrigit aures;
Hìc opus eſt noſcas, quid equus negat ire? vel ille
Horret ad aſpectus, vmbramq; paueſcit inanem,
Et tunc illecebris illum, & poppyſmate multo
Allicias, molliq; manu largire lupatum,
Diſcat vt innocuum, quicquid timet, eſſe, minuſq;
Horreat: aut illum piget hunc ſubijſſe laborem,

Aut

Digitized by Google

Aut equitis detrectat onus; freniq; iubentis
Seruitium, doctiq; fugit præcepta magiſtri;
Tunc virga ne parcat eques, neu vincat ab aſtu;
Sed paulùm impellat greſſu per prata citato;
Ferratiſq; armet calcanea ſentibus, hiſq;
Caſtiget latus, & lateri irritamina figat.
Circulus irritat medium lunatus in orbem
Ferreus, at, qua parte abruptus deficit orbis,
Perficit hunc læui ſubnixa catenula ferro:
At media de parte, Chalybs quà prodit ab orbe,
Inq; truces paulùm ſeſe faſtigiat ictus,
Lenis hiat, durum veluti ſua brachia pandat
Excipiens ſtimulum, ſtimulus reuolubile fidus
Format, & hoc radijs obuallat plurima cuſpis,
Quæ feriat latus, atque in vulnera ſæua rotetur.
At modò, curuatum collum quò flectat in arcum,
Liber eat, totaſq; in campum impulſus habenas
Accipiat, murumq; obſtantem inſiſtere contra
Cogatur, muro ſed vbi vicinior ibit,
In frenos ſenſim currentis colligat iram
Seſſor, vt excurrens ſua crura remittat in aluum,
Componatq; ſuas collecto corpore vires.
Inde inter campos ſonipes, effuſaq; plano
Arua ſolo vndanti ponat veſtigia dorſo
Viribus haud fuſis, aſt inter membra reductus,
Primaq; crura leuans cùm poſteriora reponit
Tunc autem vires hortans, & largus habenis

Seſſo-

Digitized by Google

Seſſor eat, ſed, ſi certo contendere gyro,
Et magè quadrupedem libeat deflectere curſu,
Magna catenatis vt curuet membra palæſtris,
In dextrum voluat primùm latus ilicet illum
Doctus eques, paulumq; tenax ſit dextera funis,
Larga ſiniſtra manus, dexter pes largus, at alter
Cluni incumbat equi, vt pulſus clunem ille remittat,
Adſocietq; caput, quà flectitur orbita circùm,
Torqueat & flexus, greſſuſq; abrumpat, & orbes
Aut quà læua, aut quà ſe dextera vergit, & artus
Flectat humo, relegatq; eadem ſpatia intima curſu,
Repletoſq; orbes retegat, repleatq; retectos,
Anfractuſq, ſuos iterumq; iterumq; retexat.
Quod ſi aliò obuertit ſeſe, aut fugit improbus orbem:
In gyrum flecti renuens, tu ſume capiſtrum,
Quaſſatoq; illud, ſubdat ſimul ilicet armo
Calcar eques, collum quo flectens impleat artem.
Hìc Cæſar *mihi ſæpe meus præcepta ferebat,*
Qualia in Ogygijs vix agnouere palæſtris
Oebalij Fratres, magnuſq; Tyrannus aquarum,
Vt medium ſonipes campum ſuccuſſet, & orbem,
Et medium curſu, greſſuq; frequentior alto
Impleat, vt motum noſcat, veloxq; rotetur
Quà libet, & ſubito tracta ſiſtatur habena,
Immiſſaq; viam rapiat, nutuq; iubente
In mentem ſeſe totum transformet herilem.
Si verò extemplo, dorſo cùm ſeſſor equino

Inſi-

Inſidet, ire fugax audet, neque paret habenæ,
Sed rapidus molitur iter, curſumq; repoſcit,
Contineat clauſtris, indignantemq; coarctet,
Et reuocare ſitus, ſparſoſq; reflectere greſſus
Cogat; vbi tumidum tenui compeſcat arena,
Ac gemino ſtudeat gyro torquere, ſed iſta
Lege, leui vt flexu, curtiſq; fatiget habenis
Cornipedem, vt fræno contentus protegat orbem;
Culpatamq; viam relegat, ſi caſus agit rem,
Perq; eadem redeat, quàcunq; recentia produnt
Signa fugam, verſoſq; gradus deſcribat eodem
Tramite, & alterius diuortia proxima circi
Occupet, inq; illis diuerſos orbibus orbes
Impediat, legiſq; obeat præcepta prioris.
Coge tamen retrò paulùm veſtigia campo
Paſſu vrgere pari; caue ſed, ne lapſus iniqua
Deficiat tellure. Dehinc muro obiectus vtrumq;
In latus excurrat leuis; atque ita tramite colla
Aduerſo compelle priùs, mox calce remitte
Impulſam clunem; & veſtigia coge citato
Agglomerare gradu, greſſuq; inflectere crura,
Erret vt in ſpatium doctè deflexus vtrumq;
Nam mage cùm ſonipes errat, tunc doctior ille eſt.
Aggere dein gemino tellus vbi clauſa tumebit
In decliuè, decet ſenſim ſuſpendere fræno
Quadrupedem, virgaq; ſiniſtrum verberet armum
Tunc eques, aut gemino pulſet latera aſpera crure

Cre-

Crebriùs, vt parili tellurem vulneret vngue,
Dum leuis erigitur, dum genua reclinat in aluum,
Et fluido ſua crura modo, liquidumq; reponit
Ad numerum, recipitq; libens, & terga carinat.
Atque ita quadratis equus indefeſſus inerret
Saltibus, & fræno parens leuis ambiat orbem,
Nec ſeſe ſine lege in ſaltus turbinet vltrò,
Sed tamen haud exlex, nullo licet ordine, ſaltum
In geminum plerunq; latus diducat, & erret,
Atque erraſſe iuuet, namq; hic abit error in artem.
At ſi ceruicem quaſſat, frænoq; repugnat,
Nec dextræ ad ſaltus obtemperat ille vocanti,
Tu geminas appone trabes, illæſq; cauato
Fige ſolo, has inter, velut inter clauſtra reductum
Quadrupedem gemino ſuſpenſum fune repone:
Verbere dein longo clunes pulſentur, vt ille
Verbera dum fugiens de fune reuinctus anhelat,
Attollat ſeſe; aſt, vt crura reponat ad ictus,
Hæc caſtiget eques, pulſataq; flectere cogat.
Si verò potis eſt veſtigia rumpere ſaltu,
Et greſſus agitare pares, ducatur apertum,
Planumq; in campum, geminoſq; attollere greſſus
Cogatur, ſolus ſed quos abſcindere ſaltus
Poſſit, & hinc geminos alios leuis occupet idem
Saltus. Vbi multo tulerit veſtigia campo,
Tunc ſonipes totis ſe libret in aëra plantis,
Atque eadem, quæ deſiliens veſtigia liquit,

Dum

Dum cadit, ille petat, perſultantisq; Capellæ
In morem ſurgat, (nempe hinc ſua nomina ſaltus
Traxit) & oppreſſas feriat leuis vngula glebas.
Qualem ego conſpexi ſpumantia frena terentem
Cornipedem, poſcens qui turgidus aëra ſaltu,
Indignatus humum liquidas ſurgebat in auras,
Pegaſeoq; viam tentabat in æthera curſu.
Lætior ille quidem ſudabat pondere quondam,
Vbaldine, *tuo, Phœbi ſincera voluptas;*
Atque, vt pulchèr equus verè tunc Pegaſus eſſet,
(Ardenti velut in Cæli ſtatione ſereni)
Credidit ille ſuum te ſæpe in carmine Cycnum,
Bellerophontæo qui proximus ora reſoluit
Aligero, & nunquam periturus ſidera mulcet,
Dum canit. Alipedem campo Bonuiſius *olim*
Mittebat, quà celſa nouo Palatia cultu
FRANCISCVS *nuper Latias ſubduxit in auras,*
Et ſumma ſibi mole tholos æquauit Olympo.
Qua lapides venere lyra? num ſaxa vocauit
Sedulus Amphion, vt fundamenta laborent
Mole ſub immani? Getico an modulamine vulſos
Crediderim ſcopulos, ductosq; in carmina montes,
Quos ſtupuit priſca vicinus ab æde Quirinus?
Aſt eques haud omnes in ſaltus prouocet acer
Cornipedes, neque enim par eſt labor omnibus vnus;
Ni ſonipes vires priùs oſtentare ſuperbas
Auſit, vt ad ſaltum micet integer impetus illi.

Digitized by Google

Tu verò latumq; latus, durisq; laborum
Ilia caſtigata toris, fortesq; lacertos
Conſule, vt aſſurgat numquam ægro effœtus hiatu
Spiritus, Alipedem modò magnum animoſa citarit
Gloria: ſic alijs decet explorare palæſtris
Cornipedem: ſi fortè probas: tunc ferrea prabe
Crura, breuemq; fugam, atque inopino fine repoſce
Currentem & tracto paulùm ſuſpende lupato;
Et, rotet vt ſeſe ſupra, libretq; ſecutus,
Sollicites virga clunes; ſic calcibus inſtat,
Atque citus ſublime petit ſic viuidus exit,
Et, dum ſe paulùm ſubſtentat, obumbrat arenam
Arduus, & multus plantis interuenit aër:
Tardus at in terram redeat, ſimiliſq; cadenti
Proruat, immergatq; eadem veſtigia campo.
Quòd ſi ſpe melior tentatur ad arma, tubaſq;
Natus ad æternas ſonipes aſſurgere palmas,
Quadrupedem multàs decet inſudare per artes,
Per quas ſudat Eques, qui Marti inſeruit amico.
Ille etenim dextramq; animosq; imitatus equeſtres
Ambiguos properè ſuper arua patentia curſus
Explicet, & variò condat veſtigia greſſu,
Vt modò declinet, modò turbidus impetat hoſtem,
Multipliciq; terat ſerpens ſpatioſa rotatu
Iugera, rumpentemq; vias imitetur echydnam
Audeat arma ferox inter, mediosq; per enſes
Agmina conſertis glomerata abrumpere turmis.

Non

Non illum litui ſtrepitus, non aſpera ferri
Lux quatiat, feriatvè trucis diſcordia campi
Bellatricem animam, dirivè inſania Martis:
Dent haſtæ, dent ſcuta locum, regat ira ferocem,
Sed ſine lege metus; & tot tibi caſibus audax,
Quot fera bella ferent, armorum aſſueſcat ad vſus.
Oppugnata diu modò propugnacula ſupra
Emineat, trepidosq; aſſurgere deſuper hoſtes
Diſcat, vt ingenti clauſos exterreat vmbra.
At modò ſublimi dimenſus culmina greſſu,
Decliuemq; petens modò ſummo à culmine montem,
Certa velut campo facilis veſtigia figat,
Egreſſusq; modum magno cum fragmine ripæ
Seſe agat in fluuios, furiasq; adnare ſonoras
Torrentum, & mutas diſcat tentare paludes,
Et procul inſinuare metus, & vertere retro
Omnia, & horrificis lymphare incurſibus agros.
Sed, quando hæc ætas fœcunda tonitrua flammis,
Terroresq; feros, & ab ore vomentia mortem
Intulit in bellum; ſonipes obſiſtere contra
Pergat, & ipſe ſuos immiſceat efferus ignes
Naribus è patulis, vltroq; laceſſere flammas
Currat, & immoto terat obuia fulmina vultu.
Victor Belgarum qualem indignatus in oras
Excitat alipedem, quò proripit ardor euntem,
Spinula, *& abruptis proculcantem agmina portis.*
It rapidus ſonipes, hoſtisq; in ſanguine fumat,

Ora madent ſpumis, oculisq; incendia ſurgunt,
Roboraq; & ſummis tormenta rotantia muris
Negligit, & grauidas igniti ſulphuris ollas;
Et, quamquam auulſis iam molibus vrgeat hoſtis
Abruptas turres; & propugnacula verſans,
Permeat, & tota ſubit occurrente ruina.
Semper equos docuiſſe decus, libuitq; docendo
Inſudaſſe Deos. Neptunus Ariona quondam
Flexit in Ionio, celerem quem littora iuxta
Longè aura ſtupuere, Notiq; Euriq; relicti.
Illum Neptunus bella Euriſthæa gerentem
Amphytrioniaden deferre docebat in oras
Externas, monſtris vtroq; à cardine terras
Pacantem, vt magno confinia poneret Orbi,
Quasq; ſua Victor fama iam ſubſtulit, illas
Heſperijs tandem metas præſcriberet vndis.
Quin etiam dudum ſuper aſtra locauit arenam
Iuppiter, & certo ſignauit puluere Cælum.
Hìc Titan exercet equos; ſed Lucifer illos
Ipſe regit, magnosq; docet conuoluere paſſus.
Imperat hìc Phœbus tantùm, paretq; iubenti
Lucifer ad iuſſum irradiantia fræna retorquens.
Qualis (ſi fas eſt magnis componere parua)
Iulius *ipſe libens ſequitur tua iuſſa* Camille,
Siue vbi bellipotens poſuit ſua tecta Quirinus,
Siue vbi Ianiculi lambit noua mœnia cliuus.
Sic Phœbo ſudata ſuper micat axe palæſtra;

Sidera

Sidera quà ſibi lacteſcentia paſcit Olympus,
Atque iter ad Superos candore notabile format.
Cyllarus euerſis ibi dudum ſudat Amyclis,
Acer equus bello, magnæq; in puluere famæ:
Lætior & greſſus agitat, ſeq; excitat alis
Bellerophontæis ſonipes dignatus habenis,
Qui nunc eſt Ganimedis amor, cui ſæpe volenti
Inſidet, & nitidi complet ſpatia aurea Cœli.
Illic ſpectandi ſtudio conuexa frequentant
Cælicolæ, gaudetq; Puer, plauſuq; ſuperbit
Incedens Phœbo non conceſſurus ouanti,
Tantus amor Diuûm eſt, & tanta ſuperbia formæ.
Quot Phrygio ſimiles Italas equitare per Vrbes
Cernimus? Alipedum bello generata propago
Heu qualem in ſpeciem ſenſim defluxit, & vmbram.
Durus Eques quondàm, vix & tractabilis ibat
Horridus armorum tonitru, clypeiq; coruſcus
Fulgure, & impauido feriens præcordia vultu;
Mixta notis belli quàcumq; inſurgeret hoſtis
Ora tuebatur, cùm tela vicaria Mortis
Torquebat, quercumq; vnde vmbra cadebat in hoſtes
Triſtior, implebatq; ſolum lux horrida ferri.
At modò molliculus, pulchrèq; comatulus arma
Tractat eques, Marti nec degeneraſſe priorum
Eſt pudor; arma placent, dum arma ancillantur Amori,
Et Veneris fautor fert in ſpectacula natum
Mitis, & ad ſpeciem miſcet certamina Mauors

Fæda

Fæda catenati repetens conuicia lecti.
Scilicet vt pictis bellum ſimuletur in armis,
Et pugnæ in populos nomen captetur inane,
Bellonamq; iuuet vacuam riſiſſe duellis.
Magnorum cingi galeis modò tempora Auorum
Iam ſerus fugit ipſe Nepos, qui molliter audax
Vncta peregrinis redimit ſibi tempora gemmis.
Quin magnos Patrum gladios non implet, & haſtas
Parua manus, grandisq; humeris plerumquè pharetra
Defluit, atque arcus cadit, & latus exprobat enſis.
Mutatæ pudet arma manus: non patrius hæret
Nunc thorax nato, loricarumq; rigentum
Pondera pectoribus; norunt neque tela Nepotem.
Et qui campum implebat equus, campiq; ſeuera
Ambitione frui, hoſtiq; inſultare ſolebat,
Dedidicit pugnam, neque, vt olim, claſsica nouit,
Horriſonumq; per agmen, & haſtiferos comitatus
Aſper, & egregijs iam formidatus in armis,
Quà pugnæ compellit amor, fera prælia portat:
Nec belli ſudore calens, crinemq; cruentis
Roribus vndantem, & proſciſsi puluere campi
Reſperſus multo ſibi funere proterit hoſtem:
Sed plateas cornu plangit, phalerasq; ſuperbas
Induit, & gemmis radiantia vincula collo
Luxuriant, nitidosq; armos pretioſa colorat
Purpura, & ad pretium frænos illuminat aurum;
It domino ſimilis, moresq; oſtentat heriles.

Non

Non ita credidimus nuper decora altà Parentum
Ignauo periiſſe Nepote: emergat ab umbris
Priſca Cohors veterem modò ſeruatura Gradiuum,
Et dextra fru:tura tumente ſuperbiat ira.
Immenſum proſcinde Chaos diſrumpe tenebras
Huc reditura Cohors, & regna ſilentia linque.
Nonnè Acherontæi remeabile limen Auerni
Reddidit Alcides, & Manibus aſtra recluſit?
Strauit iter Virtus, maioraq; iuſſa ferenti
Aſperior Iunone dedit: dedit ille diei
Cerberon, atque illi Solem: deuinctaq; monſtri
Colla tuens fertur Coniux auerſa Tonantis
Imperium timuiſſe ſuum, Diuùmq; Parentem
Oppoſito monſtrum viſus texiſſe pauentes
Fulmine. Iam patuere viæ: conſurgite ad auras
Magnanimiq; Heroës; & alto à ſanguine Manes.
Iam Cimber Marium poſcit, pulſusq; Niphates,
Indutusq; petit Romana in vincla Iugurtha.
Scipiadas reuocat Pœnus, Libycasq; per oras
Rurſum Romani vibrent ſua fulmina Manes.
Te Peluſiaci plebes lacrymata Canopi
Magne vocat, cui ſanguineum Pharos atra ſepulchrum
Præbuit, & longos fudit Pharſalia luctus:
Iam modò ſurgenti minitatur prælia cornu
Ammon, iam bellum nobis allatrat Anubis.
Et Meroë reſides armauit arundine crines.
Te Biturix Cæſar, te poſtulat inclyte Rhenus,

Digitized by Google

Surge, quid obſcuro libet hæc ſepelire ſub Orco
Sæcula? iam tractas per humum reſonare catenas
Audio, Teq; alius Macedo ſibi poſtulat Orbis.
Iam tibi adhinnit equus, rurſum tua frena repoſcit
Aurea, qui Domini neſcit mutare lupatum.
Deq; Polo, quà ſacra merès ſtipendia lucis,
Te Gotfride olim Puero reptat à Tonanti
Terra vocat, famulaq; petit Iordanis arena
Supplicis ora gerens, ad te ſua lumina vertit,
Tenderet & trepidas, ſinerent ſi vincula, palmas.
Te Gætula Thetis, quà ſeſe Syrtibus armat,
Oppoſiteq; tuis ſe cælat Atlante maniplis,
Auſtriadum Dux magne Ducum ſuſpirat, & Iſter
Carole, & extremæ vada caligantia Thules.
Ergo ita Cornepedem iuuet exercere palæſtris,
Bella pati dorſo, rigidisq; docere ſub armis
Inſultare ſolo, tortoq; eludere curſu,
Vt modò ſectetur, modò ſe ſubducat ab orbe
In ſpatium fugiens, & vulnera fallat, & hoſtem.
Sed caue, ne nimiùm nocitura ſuperbia ſurgat
Indignantis equi, ſubitos nam cogitur orbes
Flectere, & in gyros, curſusq; redire frequentes.
Quod ſi fortè mouent veteris te maxima palmæ
Præmia Olympiacæ, renouant quos ſæcula ludos
Noſtra, & anhelantes mittuntur ad vltima metæ
Alipedes properante gradu; ſeu Boſphorus illos,
Seu dat Arabs, equitare caue: ſed ſentibus armes

Or-

Digitized by Google

Orbiculos geminos, dorſoq; è fune caducos,
Pendenteſq; appone, vt equi magis ampla flagellent
Ilia currentis, ſtimuliſq; & verbere crebro
Sic rupiſſe moram, & metam tenuiſſe iuuabit.
Te Pueri doceant cantata pericula Phœbo,
Amphidamon cui nomen erat, neque pulchrior alter
Scyllæoſq; ſinus, & flumina parua Cathonæ
Incoluit, leuium neque amantior alter equorum.
Ille etenim quoties molles flectebat habenas
Vno etiam centum flectebat pectora fræno.
Sicilide hunc Nympha genuit Neptunus, & oras
(Furta Amphitriten ſua quò cælaret amoris)
Duxit in Auſonias, vbi læui è marmore templum
Fluctiuagi Nautæ, ſcrutatoreſq; profundi
Condiderant, quò ſæpe Deo ſua munera Glaucus
Attulit, & Triton, Athamantiadeſq; Palæmon.
It moles æquata Polo, Pariiſq; columnis,
Pyramidumq; iugis faſtigia nixa quieſcunt;
Templiq; in ſpeciem cogunt igneſcere muros
Dudum Sardoo quæſita corallia ponto,
Atque è Sidonio conchylia plurima fluctu.
Stat variis ædes circumſtellata lapillis,
Iſtaq; luminibus centum, ſiue excutit ignes
Bractea vix oculos admittens viua pyropi,
Seu viridis clauſo frondeſcit in igne ſmaragdus,
Lumina ſeu contra radios amethyſtus obarmat.
Hùc colles venere Phrygum, hùc vndoſa Cariſtos,

Digitized by Google

Multaq; purpureis Nomadum deciſa metallis
Vena micat, Tyriuſq; lapis: votiuaq; centum
Ante fores nitidis pendent donaria ſignis.
Iamq; dies aderat, qua Pubes Brutia Diuo
Sacra refert: iam Templa calent, vulgiq; precantis
Vnda fremit, ludoſq; nouat, quibus inclyta palmæ
Præmia habent naues, & habent ſua præmia curſu
Cornipedes. Sonipes erat hìc, quem Fama ferebat
Neptunum domuiſſe patrem, qui fræna mereri
Numinis, & ſacris potis eſt ſeruire lupatis,
Si quando feſſus viridi caput euehit alga
Fluctiuagum linquens ſolium Regnator aquarum,
Et terras repetens gaudet percurrere litus.
Iliacas ſeu quærit opes, repetitq; labores
Ipſe ſuos; ſeu Lernam, & Hyantia Templa reuiſit,
Tænariamq; domum; ſeu quà ſonat auius Iſthmos,
Ægæamq; vnus rabiem, Ioniamq; procellas
Diuidit, & geminum prohibet concurrere pontum:
Æquoreo quà templa Deo poſuiſſe Corinthum
Fama fuit, cùm Diuus aquas, pelaguſq; remouit
Nereus immenſis ſolidas ne fluctibus oras
Obrueret, totoq; immergeret æquore terras.
Hunc Puer exoptauit equum, Patremq; rogauit,
Vt daret: ille negat, neſcis Puer, inquit, vt aſper
Sæpe furit: patitur vix me, cùm fortiùs acres
Incaluère animi, frænoq; repugnat herili.
Inſtat adhuc Iuuenis, flagratq; cupidine curſus,

Et

Et magis, atque magis ſua damna repoſcit, & orat;
Extorſitq; Patri votum. Iubet ille ferocem
Quadrupedem duci, phaleraſq; imponit, & ornat,
Caſtigatq; reluctantem, & premit ora lupato.
Inde ait, huic ſemper ſit curæ inſiſtere fræno,
Nec ſtimulis vtare Puer, nec verbere; namq;
Ille ibit, minùs ipſe voles: ſic antè docebat
Aſtra ſuo Phœbus cùm natum imponeret axi:
Non ſecus incaſſum Neptunus multa locutus
Natum imponit equo, manibuſq; imponit habenas.
Lætus equo Amphidamon teſtatus gaudia fertur;
Dumq; Dei ſonipes excepit verba loquentis,
Mitiùs ille ſubijt leges, & fræna momordit
Aurea, nec pedibus mora, nec fuit impetus illi:
At, cum longè abiens vocem deſueuit herilem,
Vix tuba dat ſignum, &, ſi quando nubibus ignis
Dedicit effractis, minor eſt, minor impetus igni,
Quàm ſit quadrupedi; ferit ocyùs vngula campum,
Iamq; pedum calidus veſtigia puluis obumbrat,
Obſcuraq; in nube latet: maleſanus euntem
Præcipitem ardor agit, neque meta ſiſtitur vlla;
At ſine lege furens per inhoſpita, & ardua fertur,
Nec patitur Dominum, & rigidæ obluctatur habenæ.
Sic etiam rapuiſſe ferunt Phaëtonta iugales
Æthera per medium, cùm ſcintillantia Cœli
Flectere mortali meditatus lora lacerto eſt.
Tum verò Puerum currus tetigiſſe paternos

Digitized by Google

Serò pœnituit, tantumq; agnoſſe parentem.
Sic Patris fugientem iras, flammamq; Nouercæ.
Saxa per, & ſcopulos Iuuenem traxere ruentem
Quadriiuges, terror queis pectora perculit ingens,
Impete vbi vaſto petierunt æquora phocæ.
Amphidamon pallore genas tunc inficit atro,
Nec, quid agat, nouit; nam cum mage fræna retentat,
It ſonipes magis, è manibus retinacula tandem
Fluxere; hæc quadrupes (namq; illi in crura retorſit
Sors funes) metuens recto petit auia curſu,
Campus vbi in collem creſcit, colliſq; ſubactas
Calcat aquas, lapſumq; inclinat in æquora montem.
Hùc infertur equus, medium ſe acturus in æquor:
At vetat interitum natiq; ſuumq; dolorem
Æquoreus Pater, & Puero ſua fata timenti
Præbet opem, extremaq; nimis ſub rupe furentem
Mutat equum, gelidoq; in marmore claudit, in æquor
Inſiluiſſe negans: caput at ſeruauit, & artus
Atque etiam veteris ſeruat veſtigia formæ.
At lapidis rigidi color haud illum ampliùs eſſe
Monſtrat equum, iam nunc non poſſe in proxima mergi
Æquora, perpetuumq; tenebunt littora nomen:
Turris equi fertur, veteri contermina Templo,
Hìc vbi Scyllæis vlulata furoribus antra
Nautæ olim timuere vagi, modò noſtra timorem
Exuit ars omnem, & venatur in æquore piſces.
Enſiferos piſces, Gladioſq; ad prælia natos.

Nunc

Nunc age Cornipedem rudis intorquere lupato
Diſcat Eques,primis ſed pubeſcentibus annis,
Nectit vbi geminis vnam Trieterida luſtris.
Nam quà Sirenis Gens fortunata ſepultæ
Accolit Euboicum latus,& Sebethides vndas;
Quàue nigra Auſoniam Tiberis fœcundat arena,
Septenoq; tumet Romana ſuperbia colle,
Omnis in hac Iuuenis certum iacit arte laborem.
Sic te flectentem numeroſo in puluere gyros
Vidimus Antoni, ſacri pars magna Senatus,
Ante tibi meritam, quam cingeret Infula frontem,
Et Vaticana Patruus de ſede vocaret
Magnus in imperium,& per te magè redderet Oſtro,
Quàm tibi conſpicuos, quos Roma rogabat,honores.
Atque ita ſuſpexi doctæ inſudare palæſtræ
Nobile Par Fratrum decus immortale Parentum
Fortè vbi Virginius,propiorq; replebat Arenam
Flauius; Vrſa quibus fecit memorabile nomen.
Cernebatq; illos, (nam vis prohibebat,& ætas)
Lælius,& Puero Campus ſub corde fremebat.
Sic vos Creſcenti, Mutiq; & Maxime, teq;
Olim verſantem noſtro ſub Cæſare metas
Coccine,inſpexi Patrui cura inclyta magni.
Diſcendi huc etiam ſtudio venit accola Rheni,
Atque Ararim Gallus, Pyreneumq; relinquit,
Sarmaticoſq; Puer tractus,quos Viſtula lætis
Amplexatur aquis,indetonſuſq;Sicamber,

Quiq;

Digitized by Google

Quiq; colit niueus ſyluarum vmbracula Dacus.
Et quamquàm veteris ſiluerunt iugera Circi,
Nec patrij campum Mauortis Equiria complent,
Romanumq; fugax Hippodromon vngula pulſat,
Reſtat adhuc illo ſub puluere viuidus artis
Spiritus, atque animis æterna incendia nutrit,
Antiquæ renouat Bacchus cùm præmia palmæ.
Principio miti multa fracto arte magiſter
Illum imponat equo, doceatq; vt fortiter alto
Inſiliat dorſo, & crebro poppyſmate fallat
Cornipedem Iuuenis, mox verò ad colla retenti
Adſtet equi, læuumq; pedem, quà ferreus orbis
Decidit à phaleris ponat, ſaltuq; ſoluto
Emicet in tergum, genibuſq; coërceat armos,
Vt ſubito immotam per terga hærentia ſedem
Occupet, & portantis equi decreſcat in artus.
At tunc coge illum diſtendere crura, pedumq;
Culmen humum verſus nullo firmamine primùm
Dirigat, è phaleris vllus neque decidat orbis.
Corpore ſtet ſolido, atque ſuos ſibi colligat artus,
Et caput elatum, & dextrum ferat arduus armum
Dimenſus læuo: manus altera flectat habenas,
Et dimiſſa pari geſtet retinacula tractu,
Pugnoq; includat digito interiecta minori;
Nam ſtricto virgam tractabit dextera pugno.
Tales, quà rapidis Lacedæmona fluctibus vndat
Eurotas, voluenſq; natantia ſaxa per agros

Mugit

Digitized by Google

Mugit Amyclæos, geminos equitare Lacones
Vidit, & , vt Pueros frænum tractare videret,
Ipſe ſuis frænum poſuit mitiſſimus vndis.
Sperchiuſq; Pater Cæli, pelagiq; nepotem
Talem cornipedes flectentem vidit Achillem,
Cùm primùm rituſq; ſuos, elementaq; primæ
Indolis, & laudum Chiron aperiret Alumno
Magna rudimenta: & iam terga grauare iuberet
Quadrupedum, magnoſq; vago per gramina paſſu
Immutare gradus, artemq; doceret habenæ.
Vt iam cum Puero ſuamet tunc gaudia tanto
Græcia, ſpemq; ſuam dimetiretur Atrides,
Et iam tum dubijs nutarent Pergama muris.
At de fune trahat ſecuriùs ora magiſter
Cornipedis; nec ſeruitio olli libera linquat
Colla, potis namq; eſt Iuuenem excuſſiſſe pauentem,
Si fortè in ſaltus ſe proijcit, aut leuis auram
Calce petit, ſtabitq; ſuos erectus in armos.
Namq; eſſe illum Cornipedi mirabere morem,
Vt ſubitò indoctæ noſcat noua pondera pubis.
Qualis te puerum Pauluti exterruit olim
Pallantis ſonipes, cùm deuius exijt orbe,
Et Nomentanas ſcidit irrequietus arenas.
Tunc autem inſtabilem ludo prohibebis inani,
Nec magnus prohibere labor, tu diſcute funem,
Quem pedes à terra tractas, longumq; capiſtrum;
Namq; labant fracti tracto de fune furores.

Sic

Sic placido moneas greſſu, quà campus in amplum
Aſſiduis pulſatus equis ſe pandit, & omnes
Aſpera molliuit ſubiectas vngula glebas.
Succuſſu pulſare doce ſine verbere terram,
Et noſſe abſentis diſcat præcepta magiſtri,
Orbemq; implere, & medios abrumpere gyros;
Dumq; tegit, retegitq; orbes, addiſcat eundo
Diuerſas alto verſare in puluere metas.
Dexteriora priùs, læuo dein tramite greſſum
Deducat, totumq; coactus obambulet orbem.
Noſcat vt ille manum velox ad vtramq; lupatum
Flectere, ſeu Alipedem trahit in veſtigia retro,
Calcatumq; retexit iter; ſeu ſiſtit euntem,
Paulatim ad ſeſe reuocare addiſcat habenas.
Seu magis vrget opus, cùm doctior egerit vſus
In ſaltus librare gradus, numeroſaq; longè
Cornipedis foſſæ veſtigia figere terræ.
Et numerum tum ſeſſor equo ſaliente, modumq;
Calleat, vt gemino crurum, dum ſurgit in auras,
Auxilio moderetur equum, motumq; iuuando
Præcipiat, temerè ne ſaltibus impleat orbem,
Auertatq; ſuo liber de tramite clunes.
Seu libeat lento tumidum compellere curſu,
Et greſſu exagitare graui, quod & vtile bellis
Artis opus, nec firmandis tibi futile membris
Subſidium, ſtudiumq;: agiles nam reddit in vſus
Quadrupedes; illis dum crura reſoluit, & artus,

Explo-

Digitized by Google

Exploratq; acuitq; gradus, multaſq; per artes
Excit in armiſonam languentia membra palæſtram.
Sic opus eſt dare frena manu, velut æquora contra,
Pleiadumq; minas; Nereoq; furente procellas,
Rector agit curuo totam moderamine puppim.
Hoc te nempe iuuet; magnæ ſeu gloria ſyluæ
Te manet, & certo portare in vulnere lethum
Eſt animo, ſi forte nigros ſcrutabere lucos;
Perq; repercuſſi ſonitu iuga frondea collis,
Mollia per campi, rigidæq; per auia rupis,
Quàcunq; illa furit ſinuoſa per antra, colitq;
Occultas fera cauta domos, laxare moloſſis
Fræna iuuat, rapidoq; libet perquirere curſu,
Quà ferus vngue leo Libycæ populator arenæ,
Aut quà dente potens Aper atra in ſede quieſcit
Exhorrente diem, atque hic dentibus, vnguibus ille
Bella cient, ſetiſq; iubiſq; in prælia creſcunt;
Terrebiſq; lupos, fœtaq; minaberis vrſæ:
Seu leporem curſu, ſiue inſectabere damas,
Rorantemq; geres ſylueſtri ſanguine dextram.
Seu tibi Martis amor, diræq; licentia mortis
Corda, animoſq; mouet, cùm tela furentia contra
Ire iuuat, longèq; immanem aſſurgere in enſem,
Auſoniæ ſæuit quà formidabile regnis
Othmanni nomen, ducitq; in prælia dudum
Odryſias acies, bellatriceſq; cohortes,
Et coniuratas Europam adiungere victis

Digitized by Google

Olim Aſiæ, Libyeſq; plagis. Proh Numina. Reges
Bella tenent, noſtroq; mouent cognata furentes
Arma ſolo, gelidas quà Rhetia ſuſpicit Alpes.
Scilicet Inſubres vix dum ſiluere per agros
Claſſica, & iratis vix dum reſpirat ab armis
Fluuiorum Rex Eridanus, cùm ſæua reſurgit
Cædibus Alecto, centumq; repullulat hydris,
Inq; omni triſtis ſua pectore regnat Erynnis,
Dum noſtro hinc Libycus iugulo conſumitur enſis,
Hinc centum raptis ſe iactat in Vrbibus audax,
Septenoſq; trahit ſecum in fera bella Triones
Efferus Auſtriadum molitus damna Suëcus.
Hanc equitum verò quondam quis protulit artem,
Quaue homines primùm tanta experientia cepit?
Phillyrides Chiron, rapido quà verberat amne
Malliacam Sperchios aquam, Sperchiade Nympha
Ocyroën genuit, quæ dedignata paternas
Excoluiſſe artes, fatorum arcana canebat
Plena Deo, qui fortè Coronide matre creatum
Semifero nuper Phœbæa ſtirpis Alumnum
Tradiderat: Puerum ſuſpexit Nympha, nouòq;
Incaluit Phœbo. Tunc, ò lature ſalutem,
Creſce, Puer, dixit, reſcindere fila Sororum
Tu potes, & ſtabiles fatorum abrumpere leges,
Et reuocare nigra corpus Phlegetontis ab vmbra:
Sed tandem flamma conflagraturus auita,
Indignante Deo tantùm mortalia poſſe

Pecto-

Digitized by Google

Pectora: at augebis ſortem, numerumq; Deorum ;
Namq; erit æternum quicquid de Patre creatum eſt.
Tu quoque Lernææ, Genitor, tractabis Echidnæ
Tela vbi lethifero dudum vitiata veneno,
Poſſe mori cupies, animamq; in vulnera tandem
Soluere: at excipiet Cœlo te Iuppiter, vnde
Æmonios tendes ſuper aſtra Sagittifer arcus,
Scorpius hibernum tibi cùm conceſſerit Axem.
Plura locuturam prohibet Deus: ilicet illi
Nobilis humani facies ſubducitur oris:
Iam cibus herba placet, membriſq; & mente parentem
Induit illa ſuum, cognataq; corpora ſumit.
Eſt equa, quæ fuit Ocyroë, atque vt verba dediſſet,
Edidit hinnitus, & brachia mouit in herbis.
Sentit at vndarum Rector noua monſtra, doletq;
Namq; illam fertur Templo temeraſſe Mineruæ
Theſſalicam viſens quondam Neptunus Ithonen,
Opprobrioq; Dea auertit ſua lumina Virgo,
Et caſtos texit clypei velamine vultus,
Atque ideo poſtquam in patriam deſueta figuram
Illa abijt, nympham docuit Neptunus arenam
Calcare ad numerum, rauco dum cornua cantu
Cæruleus Triton animat, ducitq; choræas
Protheus, & Thetis, & pulcherrima Neptunine.
Illam fama refert liquido tractare natatu
Oceanum, Regiſq; præire iugalibus, æquor
Cùm premit Ionium Deus, & iuuat ire per altas

O 2 *Cycla-*

Digitized by Google

Cycladas, aut Libycos, Atlantaoſq; receſſus,
Atque alias petit ille domos, & ſtagna relinquit
Pigra gelu, cum ſæuit hyems, atque æquora ſurdo
Littore muteſcunt; & tunc vada quærit anhela,
Heſperioſq; ſinus, calidi quà balnea ſumma
Gurgitis, & Phœbo tepet illabente cubile.
Hinc ergo eſt, quod equi genus alto à ſanguine ducunt,
Senſaq; vix vlla ratione carentia præbent.
Contentus fræno ſonipes Pellæus herili
Victrices nunquam Domini mutauit habenas;
Imperiumq; ferunt, aliaq; hortante lupatum
Erubuiſſe manu, quàm quæ dominantia mundo
Fræna dedit. Semper tumidus veſtigia palmis
Impreſſit, cumq; Orbe pari ſtetit acer habena.
Seu Dominum ferret Pelopis cùm frangeret oras
Et rueret Thebas, Agamemnoniaſq; Mycenas;
Siue illum veheret ſecus arua ſonantia magno
Euphrate, vt ſæua quateret Babylona ſariſſa;
Siue coloratos Regem geſtaret ad Indos,
Liminaq; Auroræ, & naſcenti proxima Soli
Litora, vt hinnitu reſonante laceſſeret aſper
Solis equos. Hìc namq; ferunt ſurgentis Eoi
Increpuiſſe moram, tardoſq; per æthera eunti
Exprobraſſe gradus, & deriſiſſe morantem.
Turnus vbi bello Pallanta peremit iniquo,
Et nati buſtum magno lacrimabile Patri
Transtulit Æneas, fertur ſuprema ſecutus

Fune-

Digitized by Google

Funera equus lacrymans, poſitis inſignibus, Æthon
Imbribus, vt potuit, vultum humectaſſe ſolutis.
Qualis & extinctum pridem defleràt Achillem
Xanthus, vbi Æacidæ Rhœtæa in funera magni
Fletibus, & triſti comitatus munere buſtum
Sigæas fletu auxit aquas, multoq; coëgit
Reddere fluctiuagum fremitu ſuſpiria litus.
Sic ego crediderim functo lacrymaſſe magiſtro
Nuper Cornipedem, cùm funere merſit acerbo
Te Cæſar *ſuprema dies: te funere longo*
Luget equus, te flebit eques: ſtat pectore demens
Luctus, & in vacuo ſqualebunt puluere metæ.
Et quoniam nullos, Cæſar, *moderabere frenos,*
Ne fletum, luctumq; ſuum quis comprimat, vltro
Abrupit frænum omne dolor: te patria Syren
Parthenope ſine lege gemit; quiq; ante palæſtras
Impleuit ſonipes, tantoq; docente magiſtro
Emicuit, te nunc fato ſuperante videtur
Ignauum ſine bonore pecus: teq; ipſa peremptum
Flet Pubes, flent campi, & mæſta armenta queruntur.
Fracta etenim cunctis, auerſaq; corda palæſtris,
His quis enim præcepta feret? cui nempe magiſtro
Magnanimus parebit equus? quem noſcet habena?
Non ſecus extincti poſt fata nouiſſima Tiphys.
Vix Myniæ nouere ſalum, vix nouit apertas
Remus aquas, vix temo viam, vix carbaſa ventos;
Defecit Cynoſura Polo, Tiphymq; ſecuta eſt.

Tu

Tu tamen æthereos inter nitidiſſimus orbes
(Si, quæ cura fuit terris, eadem vrget in aſtris)
Solis equos rutilum glomerare per æthera greſſus,
Et nitidæ ſignare doces veſtigia lucis;
Vt modò Sole ſatus ſecurior iret in axem;
Atque indeflexo torqueret tramite currum.
Infelix Phaëton: tua ibi quoque iuſſa fatigat
Pegaſus, & meliùs gaudet ſe credere Cælo.
At ſi magna mouent miracula præpetis, ortum
Cui dedit anguicomæ caput exitiale Meduſæ,
Accipe natalis factum mirabile tanti.
Arduus è Libycæ gremio telluris in auras
Erigitur, Cælumq; humeris famularibus aptat
Imperioſus Atlas, cui conceſſere ſuperbo
Immenſum quotquot dominantur in aëra montes.
Vertice pinifero vaga ſidera torquet, & illi
Flammeſcunt ſemper vicino Hyperione terga,
Illa infra reboant venti, latera aſpera nubes
Inſumunt, quà ſubiectas procul occupat oras,
Sæpe quibus nimbos, tempeſtateſq; ſonantes
Concuſſa ceruice mouet: micat horrida frontis
Gloria, per medias cùm ſcintillantia nubes
Fulmina de gemino torquentur lumine, cùmq;
Triſte ſupercilio tonitru dat, ſubdita reddunt
Antra ſonum, totaq; ſolum ditione remugit.
Hinc niueis horret dorſum glaciale pruinis,
Quà regnum ſibi fecit Hyems, ſceptrumq; niuale

Sæua

Sæua tenet, nimbiſq; & tempeſtatibus audax
Imperat, & glacies, famulatriceſq; pruinæ
Regnantem ſtipant, ac non tractabile frigus.
Vndiq; nubifert plantas Genitoris ad imas
Flumina præcipitant prono torrentia curſu,
Et magno blandita patri veſtigia lambunt.
Non illum valido quondam diuellere niſu
Auſa ſolo anguiferum Pubes maleſana Gigantum,
Vſque adeo venerata locum, quamquam aſpera Cœlo
Bella tulit, cunctoſq; armauit in æthera montes.
Ipſe ſed in bellum dedit alto è vertice Diuos,
Parq; ſuperpoſitis vnus ſtetit omnibus altè
Montibus: illum infra iacuere cacumina Thraces,
Inferior Pangæus erat, minor Æta, minorq;
Æta immiſtus Athos, immiſtus Pelion Oſſæ,
Et ſuperingeſto iacuit minor Othrys Olympo.
Hunc perhibent olim montem coluiſſe Sorores
Phorcydas, & tantæ tutas molimine molis
Gorgoneas feciſſe domos. Aſt vna Sororum
Maxima ſæuarum, frontemq; animata chelydris
Horrida, torquebat crinita draconibus ora;
Cuius ad aſpectum ſaxa in ſqualentia ſæpe
Migrauere viri; & nimio cum pondere viſu
Aëre de medio lapſæ cecidere volucres;
Et ſe mole noua Libyci ſtupuere Leones,
Proiectiq; viæ angues in medio riguerunt:
Ipſa etiam tellus non vllo conſita cultu

Side-

Sideribus, Phœboq; vacat, nam lumine monſtrum
Si modò ſpectaſſet, riguiſſet in æthere Phœbus;
Cumq; per ora irent oculos torſere dracones,
Et Dominam timuere ſuam, gelidoq; rigentes
Pene ſuperiecti iam marmore colla grauarunt.
Huic vbi truncauit telo Ioue natus adunco
Colla colubriferos fruſtrà tendentia rictus,
Cæſaq; per campos ſine vertice buſta reliquit;
Corpore iam toto moriens in vertice virgo
Vſq; ferùm ſpirans viuebat in anguibus imis,
Fundebatq; nouos etiam poſt fata cruores.
Tunc vbi ſuſpenſò temerauit nubila curſu.
Perſeus, & vacuas victor conceſſit in auras,
Qui cruor in virides præſecta à Gorgone glebas
Decidit, in prolem glebas animaſſe recentem
Fertur: humo expanſis emerſit Pegaſus alis,
Aonijq; iugi, nemoriſq; habitator opaci
Incoluit felix ſublimia culmina Pindi,
Parnaſiq; cacumen, & auriſluam Pyrenen.
Hìc autem excuſſit fontem, Vatumq; ſuiq;
Libamenta Dei: mox contra immane Chimæram
Eructantem ignes ſulcantem nubila vexit
Bellerophontem acrem: dein terram exoſus ad aſtra
Inueniſſe viam fertur, Cæloq; micantem
Excuſſiſſe iubam, & crinalia ſidera, centum
Quæ collum irradiant, quà cincta Aquilonibus Arctos
Ingeminat lucem, vt ducat ſua clauſtra Bootes.

Hìc

Hic olli nocturna quies: namq; horrida poſtquam
Pellitur è Cœlo, inque ſuum nox voluitur Orcum,
Impellitq; Aurora fores, modo filia Solis,
Mox Genitrix primo paritura in limine Solem,
Pegaſon inflectit, dorſoq; inuecta volanti
Floribus æthereos interlucentibus Axes
Induit; binnituq; procul leuis æthera pulſat
Præpes, & audito fugiunt exterrita longè
Sidera, quæ gradibus nimiùm properantibus, vltro
Dum fugiunt, medio pallent recidentia Cœlo;
Vt non immeritò ſurgens Aurora Camænas
Excitet, & ſacras foueant ea tempora mentes,
Quas tum ſidereis ſonipes irrorat ab alto
Fontibus, æternos vbi fundit ab æthere rores.
Verum equitum belli in morem me ludicra poſcunt
Gaudia: ſat flexiſſe manu didicere lupatum,
Stare loco neſcit ſonipes, præludere Marti
Audet, & binnitu campos exercet acuto.
Centum ex his olim vidit ſpectacula Siren,
Illa equitum generoſa Parens, decorumq; creatrix,
Delicium terræ innocuum, cor illa Suadæ,
Quæ modo flammanti miſerùm damnata ruina
Contremit, & cineres, iactatoſq; excipit ignes:
Æmulus iratæ tumuit nam Veſuius Ætnæ
Eructans latè ſua viſcera, & impete vaſto
Euomuit flammarum vndas, tædaſq; volantes,
Indigenaſq; imbres, piceaq; è nube ruinam,

Inq; nigram Phœbo noctem mirante coëgit
Deceſſiſſe diem, pepulitq; tremoribus oras
Inſolitis; Stygias tandem abrupiſſe catenas
Iapetum, Tityonq; putes; fractiſq; Tonantis
Legibus inſanum ſupera ad conuexa leuari,
Luctantemq; ſibi ſeuùm efferuere per agros
Tartaron, & priſca rurſus vertigine mundi
Antiquum remeare chaos: patuere nocentum
Arcana vmbrarum, & damnatum vulgus Auerno
Emerſit, noctemq; ſuam ſuper astra reuexit:
Nam procul ardentes Phlegeton iactauit arenas,
Styxq; ſuas nunquam remeabilis impulit vndas,
Eumenidumq; manus excuſſis anguibus vltro
In medium crepuere diem, Sygijq; triformis
Liminis excubitor trepidis auditus in agris
Latratus geminaſſe truces: ita damna minatur
Vltima Mons orbi, damniſq; ferocior iram
Ipſe ſuis geminat. Iam ſæuo impulſa fragore,
Ætna velut ruptis fornacibus vndat in auras,
Diſſiliunt iuga, longinquas timor occupat Vrbes,
Vt rurſum pauidi timeant incendia Locri,
Viciniſq; globos, & ſaxa reciproca defert,
Ac cineri inuoluit refugo, ſepelitq; pauentes
Ignis, & obſcurus combuſtæ nimbus arenæ.
Vidimus ex alto ſecedere litore pontum,
Quem cinis, atque æstus eiectamenta furentis
Oppreſſere nimis, fumare & in æquore piſces,

Ac

Digitized by Google

Ac Phaëtontæas rurſum gemuiſſe ruinas.
Quin & quà flammas mons eructauit in vrbes
Multa virùm latè ſemiuſtis corpora formis
Cernere erat, paſſimq; extis fumantibus artus:
Mox veluti fleret, quæ fecit damna, Veſeuus
Euerſas miſeratus opes in flumina ſoluit
Se fletus, & dum ſortem ſibi deflet iniquam
Auget aquis noua damna ſuis: quod flamma reliquit,
Abſumpſere vndæ, namq; incubuere per oras
Immiſti cum vndis ignes, cumq; ignibus vndæ.
Imo hæc tanta ferunt creuiſſe incendia ventis,
Sæuus vt immiſſis fureret Vulcanus habenis.
Arua per & ſegetes, quæ nunc moriuntur in herbis,
Quas cinis aut nimius, nimius vel corripit ignis,
Ipſæ autem trepidæ liquere cacumina nymphæ,
Roboraq; amplexæ nemorum flagrantia tandem
Abſcedunt, fugiuntq; at dum nec anhela relinquunt
Robora, quà fugere, trahunt incendia ſecum,
Atque augent ipſæ, quas extimuere, ruinas.
Iamq; gemit montana Pales dilecta locorum
Otia, Syluanuſq; procul gemit arbiter vmbræ,
Faunorumq; cobors, & monticolæ Satyriſci.
Et, quæ ſurgebant iuga celſiùs æmula Naxo
Frondea gauiſam referentia palmite Leſbon
Delicias mirata ſuas, nunc horrida luctu
Marceſcunt, & hiant nigris prærupta cauernis,

Digitized by Google

Floribus haud vllis, nullaq; virentia fronde,
Ardentem aut Phlegran, aut Acroceraunia Phlegræ
Miſta putes, rapidoq; impreſſam deſuper Ætnam
Encelado, atque, aliis ſi qua addita Fratribus olim
Culmina, viſceribus reſpirauere receptum
Fulmen, & igniuomis ſuper incubuere ſepulchris.
Heu quæ tot clades Diuini Numinis iræ
Signa ferunt dimiſſa Polo? tonat ignibus æther,
Immugitq; Orcus: nobis ſcelera exprobrat ille;
Iſte petit ſontes, pœnaſq; minatur acerbas.
Parcite, ſi quis amor noſtri præcordia tangit
Cælicolæ, & tetigiſſe iuuat: ſuccurrite tandem
Italiæ: tu Petre tuum, tu Paule fatiga.
Rurſum in vota Deum, voſq; addite vota precando
Indigetes Diui, & quotquot vel Roma recepit,
Vel peperit Cælo, Superiſq; adiunxit, & aris
Numina, ab Auſonia meritas auertite pœnas.
Iam ſat barbaricas pridem ſatiauimus iras,
Seu dira in nos ſæuum Alaricum impegit Erinnys,
Seu fudit trux ira Gothos, totamq; recluſit
Attila Mæotim bello, iacuitq; cruentis
Ipſa ſub imperiis, quem Roma ſubegerat, hoſtis:
Tunc ſatis heu luimus ſcelerum contagia noſtro
Sanguine, ſi qua animos olim tenuere rebelles:
Parcite, ſi quis amor ſacris in montibus ædes
Romanas colere, hic quò ducta Colonia Cælo eſt,

Atque

Digitized by Google

Atque admota iuuat ſtellis molimina Templi,
Et Vaticanas aperiri in Numina pompas.
Iam ſat Auernales temerarunt aëra morbi,
Iamq; ſatis Stygiæ peſtes, bacchataq; luctu
Agmina ſunt noſtro, ſqualent ſatis horrida tabo
Arua, tot effoſſis propè deficit ipſa ſepulchris
Terra, tot Italiæ gemeret Carthago ruinas,
Nec fera diffuſos cohiberet Parthia fletus.
Iam Trebiam minùs, atque truces Oenotria Cannas
Deflet, in immenſum funus creuere recentis
Arua per, atque Vrbes damna impacata veneni,
Et populis immiſa lues: nec Martis iniqui
Ira minor, cum bella ciet, ferrumq; laceſſit,
Exitiumq; minax, Alpeſq; impingit apertas,
Atque odijs furit vſque nouis: neque Martia tantùm
Auſoniam latè quatiunt mala, ſæuit Enyo,
Armorumq; fragor furit en quà frigida ſemper
Clauditur Hercynio præcincta Bohemia ſaltu,
Hydraq; criminibus ſurgit ramoſa, nouoq;
Pulſatur triſtis patrio Germania bello;
Quà Dacum ſurgens genus intractabile Cœlo
Toto excitam Erebo mouet atra in prælia Ditem,
Quà vel Hyperboreo veniens de litore feſſum
Hoſtilis rurſum ſonipes pede proterit Albin,
Rurſus, & antiquis tremuere furoribus Alpes,
Attonitamq; metu replet nouus Annibal Vrbem;

Rur-

Digitized by Google

Rurſum & flammiferi furias meditatus Auerni
Arma parat truculentus Arabs, ſyluaſq; fatigat
In claſſem Odryſiæ temerarius Arbiter vndæ.
Inſeuit Mauors, arma vndiq; & vndiq; lethum:
Vt cum vincla ferox ſonipes excuſſit, & audax
Fertur in obſtantes non audit verba magiſtri,
Sed furit, & rapido ferus atterit omnia curſu.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

PRofert ludorum genera,quæ apud Equites in more poſita ſunt. Ait nunc ad rem facere ludos hoſce edere,cũ deceſſerit Suecorum Rex, qui minabatur Italiæ,totiq;Chriſtianæ rei perniciẽ.Recenſentur ludi, eóſq;refert ad amuſſim, quos Neapoli dederunt Equites bello Tunetano confecto Carolo V. Imperatore. Improbat ludos equitum pectora haſtis impetentium. Infortunium in medium affert Arconis Argiuorum, & Henrici Gallorum Regis. Deſcribuntur Lampadophoria Hiſpanorum more, quorum origo à Cerere ob repertam filiam Proſerpinam,& Tauri,quos aſſerit inuentos à Baccho, vt Ampeli mortem vlciſceretur. Perſicos etiam adumbrat, quos Petrus à Valle Eques Romanus reuerſus ab Rege Perſarum Romæ docuit, editiq; fuerunt in atrio Columnenſium. Laudat Equum Spadiceum Franciſci Cardinalis Barberini, & ex equorum pernicitate ad humanæ vitæ fugam delabitur. operiq; imponit ab VRBANI VIII. Pontificis Regno coronidem.

FRAN-

FRANCISCI SACCI HIPPICON

Liber Quartus.

BELLA quis hic agitat? triſtiq; natantia campo
Quid Diomedæis rabidus fera funera ſemper
Mauors calcat equis? ſat tempeſtate cruenta
Alpinæ rubuere niues, ſatis horruit haſtis
Eridanus, ſoluitq; ſalo ferale tributum
Sanguinis, & truncis vexit buſta horrida membris.
Ergo age compeſcat ſtrepitus Bellona tubarum
Mitior, & vacuam iuuet hic luſiſſe duellis;
Vt Mars pacato ſpectacula rideat ore.
Maius opus moueo; ſurgant mea carmina Muſæ
Nobiliore lyra; mihi nam grauiora canenti
Maior ab Aonio ſumenda potentia colle eſt.
Linque procul mea Muſa chelym, leuioraq; linque
Barbita, ſume tubam: & quamquam ſimulacra ferocis
Sola damus pugnæ, ſunt hæc ſimulacra tubarum
Digna ſono; pariter ſtant hic Heroes in armis,
Concurruntq; equites pariter, pariterq; ſuperbit

Bella-

Bellatoris equi furor, & ſua prælia miſcet,
Et phaleris phaleræ, & reſpondent enſibus enſes,
Et clypei clypeos, haſtamq; reuerberat haſta:
Sed ſine cæde furor; cadit & ſine ſanguine vulnus.
Hæc modò bella placent, quoniam compeſcuit armis
Cæſar ab extremo Populos Aquilone rebelles,
Indomitumq; caput Rheni, qui turbidus olim
Auſtriadem contra totam transfuderat Arcton.
Illius ante pedes flauam ſparſere Suëci
Cæſariem, & proni leges, & iura repoſcunt.
Iam ſenſit moriens ſceptrum, cui viuus iniqua
Inſtruxit per bella dolos: iam colla ſecuri
Cæſareæ dedit, & caput à ceruice reuulſum
Qui coniurato nimiùm male fretus Auerno
Cæſareas alta petijt ceruice tiaras.
Ruſticus en cecidit, qui dura ad bella coëgit
In gladios ſæuùm curuas excreſcere falces
Nuper, & in rigidum ſua raſtra rubeſcere vulnus:
Auſa Ceres poſitis cùm ferre ligonibus enſem eſt,
Bellona Auſtriacos nimiùm ridente per agros.
Quin ferus aſſerta iam nunc famulatur in vnda
Oceani Saxo, potorq; volubilis Iſtri.
Maxime iam pronis tibi Ferdinande *tributis*
Regna fluunt, Arcton tibi iam iuraſſe niualem
Vidimus, Italiam nuper circumſtetit atrox
Ferreus armorum nimbus, læſuraq; belli
Tempeſtas, turmiſq; minax prope cinxerat Alpes;

Q *Alpi-*

Alpinæq; procul tremuere cacumina ſyluæ
Pone metu belli, non vento quaſſa furenti,
Atque metu magè, quam glacie horruit Apenninus:
Sed fatum, Italiæq; metu tu ſolus in hoſtem
Torſiſti, in quem ſe dubius librauerat Orbis,
Atque illi victor flexiſti in viſcera ferrum.
Iam tua pugnacem galeis hauſere Tibiſcum
Agmina, iam pauidos deiecit vertice Dacos
Miles, & immenſo Gens eſt damnata triumphô.
Pacatos ergo ſit fas percurrere ludos,
Et placidos bellum ſimulet ioculare per enſes.
Turma equitum, Latiumq; modò noua pompa Theatrum
Impleat, & felix laxet ſua gaudia plauſus.
Namq; per hæc bello ſeſe ſpectacula Pubes
Inferet, & magno diſcet præludere Marti.
Ceu primum ignoti ſpatia alta hauſtura profundi,
Ægæamq; hyemem, Thyrrenaq; murmura pinus,
Litora ſæpe priùs, ponunt quà laſſa furorem
Æquora, quàue truci nunquam temerata tumultu
Stagna modeſta ſilent, lentò clauumq; leueſq;
Explorat remos tractu, & diſcrimina diſcit.
Cùm ſeſe experta eſt, tunc auſa irrumpere pontum,
Amplius ignauæ neſcit ſe credere terræ:
Iam Maleæ petit illa fretum, perq; ora recurrit
Cyaneis arctata vadis; iam deſpicit atrum
Æquor, & ancipiti coëuntia ſaxa ruina.
Ludicra ſic Iuuenes exercent arma, latuſq;

Lenè

Digitized by Google

Lenè probant, placidoq; ſuo præcordia Marte
Per belli ſimulacra priùs, dein vera minantur
Prælia, & immani gaudent ſe credere campo.
Namq; ideo ſacros dedit olim Græcia ludos:
Seu priùs Eleum victor certauit honorem
Alcides, Pelopiſq; ſacrauit prælia campo,
Fortè renaſcentem cùm ferret Olympias annum.
Seu magis exuuias Phocis venerata draconis
Libera Apollineæ puerilia bella pharetræ
Extulit, & magnis celebrauit Pythia ludis.
Siue vbi ſunt medijs bacchata Palæmonis aris
Agmina Leucothoë quoties lamenta reſumpſit
Triſtior, & geminum impleuit ſingultibus Iſthmon.
Archemori ſeu cùm fertur coluiſſe ſepulchrum
Argos, vbi Nemees Pubi inſudata Pelaſgæ
Prælia, & extinctum flebat Trieteris Ophelten.
Nec ſecus armipotens luſtrauit, Equiria Mauors,
Quæ magno memorant Romam ſacraſſe Parenti;
Aut leuis Hippodromon ſcidit in ſua præmia Virtus,
Verſataſq; refert etiamnum Circus arenas.
His coëant ludis gemino de cardine Gentes
Quas oriens morienſq; ſala Sol cernit vtroq;
Quaſq; vrget Boreas, Boreaq; procacior Auſter.
Bellum ineat primus, ſeſeq; oſtentet in armis
Ludus, in Auſoniam quem iam cùm conderet Albam
Laomedonteæ poſt fata nouiſſima Troiæ
Rettulit Aſcanius, pubemq; ciere Latinam

Edocuit velut ante, vbi Dardanio Anchiſæ
Inferias ſtatuit, Siculis celebrarat in oris.
Tres Equitum turmæ incedant, ternoſq; ſequantur
Ductores; illis phalerarum plauſa tumultu
Veſtis, & illuſtri limbus procul ardeat oſtro:
Alludat Soli clypeus, galeaq; reſultans
Innexo mendica dies diteſcat ab auro:
Sed galeæ criſtatus apex, intextaq; plumis
Gloria ter niuei ſcandat faſtigia coni,
Terq; coloratis verratur caſſida pennis.
Inde petat latè campum noua pompa patentem,
Frænatoſq; inflectat equos, quibus illa ſonantem
Per campum ſpatiata micet, luſtretq; tuentum
Lumina per gyros circùm, ternoſq; magiſtros
Audiat. At, ludi præbet cùm buccina ſignum,
Diſcurrant terni pariter; ſed nulla furorem
Arment tela priùs, nulliſq; aſſurgat in armis
Ira; ſed imbelli præludant Marte vagantes.
Vt verò lituus bellum inſtaurare ſecundum
Iuſſerit igniuomo ſubito manus emicet enſe,
Atque ineant curſus alios, velut horrida ſerpens
Rumpit iter, ruptoq; terant ſpatioſa rotatu
Iugera, ſed, cùm bellanti fit proximus hoſti
Quiſq; ſuo, è latere armatum caput ilicet enſe
Verberet alterius, curſumq; arctare licebit
Alternis ſpatijs, aduerſoſq; orbibus orbes
Inſtruere, & gladios hoſtis deludere, & ictus:

Sic

Digitized by Google

Sic Labyrinthæum Minoo in litore quondam
Dædalus egit opus, multoq; impleuit opertas
Innumeras errore vias, & limina flexu
Multiplici poſuit, variaq; ambage viarum
Implicuit, longumq; iter irremeabile fecit,
Cumq; opus expleuit reditum vix repperit auctor.
Sic refugus Phrygias lambit Mæander arenas,
Occurritq; ſibi, atque ſuis venit obuius vndis,
Itq; reditq; fluens, venturumq; aſpicit amnem
Dum redit, & nunc lenè ſubit reſonantia ponti
Litora, nunc veteris repetit cunabula fontis.
Vt verò hoſtilem dextram ſuperabit, & enſem
Acer eques, lateri nimirum vbi fortè ſiniſtro
Hoſtis equi approperat caput, atque infeſtus inhæret,
Iamq; repercuſſis ſonitus procul ingruit armis
Horrendùm, clypeiq; ſonant thorace gementes,
Crudaq; colliſis geminata tonitrua parmis;
Tunc finem imponat ludo, & venientibus vltro
Det campum, pariter ſua qui ſpectacula prodant.
Quod ſi Equites inter ſeſe generoſiùs haſtis
Concurrunt, rigido claudant ſibi pectora ferro,
Æneus vt forti thorax grauis hæreat armo:
Tergemini corpus clypei munimine tutum
Aſſurgat, clypeiq; procul nitidiſſimus orbis
Ingeminet ſplendore diem, frons caſſide maior
Stet chalybe indefeſſa graui, criſtiſq; fluentem
In galeam attollat ſeſe, ſolidamq; ſuperbus

Intrat

Digitized by Google

Intrat vbi campum ſonipes, manus impleat haſtam.
Ore ferat ſeſe magno, ſe pectore, & armis
Fortibus oſtentet lituos eques inter, & æra,
Cui vires, vultumq; hilarem fiducia palmæ
Augeat, & nulli par experientia pugnæ,
Atque illi melius veri Mauortis amore
Flagret inexpleto pectus, dextraq; fruatur.
Sed caueat, cubitus ne totus adhæreat haſtæ,
Nulla etenim tunc certa manus, neque lancea felix,
Illa at in incertum cadet, hinc ingloria vulnus,
Quin etiam æriſonos equitans neque torqueat artus,
Neu læuus dextro præcedat ineptius armo,
Namq; ita fit breuior, cum vulnerat haſta, minorq;
Pectoraq; hoſtili magis inde patentia ferro
Accipient inimicam haſtam, atque in vulnera ſeſe
Certa dabunt, ſtabitq; exceptum corpore lethum.
Nunc age Phœbe refer, quondam quos inclyta ludos
Parthenope ſtupuit, cum Carolus *arma retorſit*
Cyniphia de ſtrage calens, Gætulaq; poſtquam
Agmina in Auſtriadum traxit diademata Regum.
Iam Mauros Cæſar, veteriſq; ſacraria Bocchi
Fregerat, & Libycas victor calcarat arenas,
Cum gauiſa ſuum Siren vicina Veſeuo
Excepit Regem, veteres ſolita triumphos,
Et pompas, ſtatuitq; Duci ſpectacula pompæ.
Iamq; per Auſonias ſubito perlabitur Vrbes
Fama gradu, ſancire ſuo ſolemnia Regi

Parthe-

Parthenopen; ludumq; refert, quo Martia pubes
Ludicra victrici molitur prælia dextra,
Victorum de more decus: Romana per arua
Primus rumor ijt, tranſgreſſaq; fama volatu
Inſubres, geminoq; impulſos æquore campos
Italiæ, Venetis celeris delabitur oris,
Implet & Annibali quos olim Oenotria montes
Oppoſuit, fractaſq; obiecit inaniter Alpes.
Concurrunt equites; feruent maria omnia circùm,
Centenæq; rates Sebethica litora pulſant:
Omne caleſcit iter, fuſuſq; per agmina cœtus
Plurimus accelerat: qualis, cùm claſſica ſignum
Dant Zephyri in pratis, quà Veris Hymettius halat
Flatu perpetuis recreatus honoribus Hortus,
Mellifluos populatus agros exercitus exit
Auro pictus Apum, campiſq; virentibus vndat.
Non aliter circùm fremit in ſpectacula tellus;
Vt deſint tecta ampla viris, omniſq; patentis
Ferueat Italia, quà ſe tenet hoſpita Siren,
Artificeſq; vrget labor omnis: hic expolit enſes,
Hic clypeos nouat, hic veſtes illuminat auro;
Ille autem Alipedes melioribus inſtruit armis,
Hic Palamedæis coni faſtigia pennis
Induit, & volucrem locat alta in caſſide ſyluam.
Sed tandem centum inuitata ſonoribus Eos
Luce rigans meliore comam ſe læta ferebat
Oceani è thalamis: Moles operoſa theatri

Cùm

Cùm patet, & magnus laxat ſpatia obuia Circus.
Doricus immani quà ſe ſtrue ſubſtulit ordo,
Aureſcitq; procul, nitidiſq; excluſa columnis
Area porrigitur; ſed quà teſtudinis inſtar
Porticus incuruat ſpatium, intertexta figuris
Stant loca deuicti exuuias complexa Tyranni.
Quatuor hinc infert ſeſe turba aſpera portis,
Primaq; Saxonicos ſurgit confeſſa triumphos,
Altera Maſſylas iactat pulcherrima palmas,
Inq; alijs totus ſe margine fundit vtroq;
Oceanus, fractæq; gemunt in limine Syrtes.
Dat campum, pugnamq; fouet, qui prælia dextra
Tractat vera pari, Methymnæ Rector Iberæ
Alphonſus, Libycis qui ſicut agebat ab oris
Agmina iam Victor, ſic in ſpectacula victos
Intulit Heſperidum, ditat quos fabula, campos.
Scilicet extremo latè patuere theatro
Heſperidum vigili ſeruata dracone vireta:
Ver vbi perpetuos hortorum exhalat honores,
Floret ager, rident ſegetes, & odora triumphat
Anni pompa ſui, riuuſq; per arua coruſcum
Argentum liquido pede voluit, & æmula Cœlo
Bella vocat tellus armata virentibus aſtris.
Namq; hìc trans legem ſemper variabilis anni
Ver ſua iura dat, & ſceptrum immortale coruſcat,
Alteriuſq; dies, & non ſua tempora ridet.
Ni quantum medijs arbos autumnat in hortis

Aurea;

Digitized by Google

Aurea, & arcano floreſcit lumine truncus.
Pro foribus viridi Cuſtos vigil accubat altis
Collectus gyro, ſpiriſq; plicatilis atris:
Effera fax oculis, cruento quæ fulgurat igne,
Percuſſaſq; procul calidis afflatibus herbas
Incendit, cogitq; ferox areſcere campos:
Os veluti viuæ Mortis tenebroſa vorago
Horridùm hiat; ſpumiſq; viret ferale veneni;
Ter linguam vibrat, terno ſtant agmine dentes,
Gloria crudelis radiat procul horrida frontis,
In criſtaſq; tumet, ſurgitq; in cornua vultus
Cum patuere fores, foribuſq; ferocior adſtat
Fortis Eques, ſubitò qui ſeruat limina cuſtos
Erigitur ſerpens, & magna volumina ſoluens
Se trahit immanem, cumq; vltro incedit, apertas
Poſſit vt ire vias, à ſeſe turbidus exit,
In ſeſeq; redit, vireſq; alternat, vt ipſum
Altera pars fugiat, repetat pars altera ventrem
Longo protenſum tractu, ſinuoſaq; caudæ.
Hinc ferus, atque illinc vndans faſtigia vibrat,
Atque Equitem, pompamq; præit, ſulcoq; recenti
Ipſe viam ſignat: viuo ſpirare veneno
Ora putes: ſtupuit, tremuitq; ad ſibila vulgus,
Deq; Polo cecidiſſe putat, qui ſidera terrens
Anguis ab Arctois interſecat Orbibus Axem;
Aut rurſum Phœbi ſtratum Pythona ſagittis
Parnaſi intumuiſſe iugo. Sed Pompa draconem

Inſequitur. Biſſeni incedunt ordine glauci
Tritones, Libyci pubes vetus incola ponti,
Qui liquido clangore tubas, & cornua multo
Conſpirare ſono cogunt, cantuq; ſoluto
Oceano credas remeare ex hoſpite menſis,
Lenæoq; alacres; ſeni quoque mole minaci
Turribus ingeſtis dorſo veniunt elephantes,
Et, quos victa ſuos illi dedit Africa partus,
Tres elephantum aciem comitantur Gorgones atræ,
Quatuor Harpyiæ, formæq; bicorporis acres
Centauri: nam ſic Erebi monſtra horrida pompas
Fecimus, & miſeri cum ſæuo ludimus Orco.
Centauris clypei premit impenetrabile textum
Læuam, ſæuuſq; arcus habet: namq; aſpera plumis
Terga grauat, teliſq; calet corythos anhelis,
Ingenteſq; humeros, & arundine colla fatigat,
Dum ſonat à tergo aurata cum lynce, grauemq;
Dextera habet magno caſuram pondere clauam.
Mox deni ſubeunt validis Titanes in armis,
Ætnæis credas Phlegræa ad prælia ruptis
Carceribus ſæuos iterum emerſiſſe Gigantes.
Illi autem Pœnis ſua fræna leonibus vltro
Injiciunt, victoſq; trahunt: Libycaſne ſuperbos
Intulit Italiæ in ludos Gætulia pompas,
Vt, quicquid iam pauit, amet? victorq; fruatur
Dum videt ire ſuos pacata in bella labores?
Armigerum exin multa cohors, quibus aurea latè
Veſtis,

Veſtis, & argenti ſtant arma nitentia luce,
Mox alijs turbam nitidis bellator in armis
Inſequitur: ſudat rutila cui caſſide vultus,
Ter niuea ſcandente iuba, ſublimia thorax
Terga, latuſq; premit, pretioq; rigeſcit eodem
Pectus, habet læuam clypei quoque flammeus orbis,
Viuit vbi, & rigido perfecta vireſcit in auro,
Arbor, quæ Phœbi radijs percuſſa coruſcis
Vernat, & ipſa ſuas alijs tamen excitat vmbras.
Cornipedem flectit, domuit quem Nuba per amplum
Litus arenarum Libyæ, ventoſq; volucres
Impulit, & miſſum curſu præuertere telum;
Cui multa de nocte cutis tenebroſa nigreſcit,
Et tamen in tergo Solem gerit: albicat illi
Vnge ſuper terno villus: fax viuida complet
Lumina, & in membris feruor generoſus anhelat.
Ingreditur campum Alphonſus, comitantur Iberum
Auſonij Iuuenes Equitem, duo Gentis Etruſcæ,
Romulidumq; duo: Venetùm ſatus vnus ab Vrbe,
Quatuor è Ligurum dedit Itala Ianua campo,
Ianua, Thyrrenò ſurgit quæ proxima Ponto,
Quà niue torpentes tumet Apenninus in auras
Aſper, & alterna geminum tegit æquor in vmbra.
Vt campum greſſu, & ſpectantia lumina pompa
Luſtrauit, medij ſpatia vlteriora theatri
Occupat. At magni contrà ſtetit oſtia Circi,
Veſtibulumq; petit teſtatus Numina currus

Parthenopes. Rigidis moles micat aurea gemmis,
Culminibuſq; cauam ſurgentibus vndiq; concham
Explicat: arcana rapiunt vertigine molem,
Verſantq; errantum placidè interiora rotarum
Æquamenta, ſui celant quæ pondera motus:
Sed Draco flammiuomus moli præmiſſus eodem
Incedit cum mole gradu, velut ille nitentis
Alarum currus reuolubile pondus agat vi.
Fræna regebat Amor, curruſq; Auriga draconem
Extimulat iaculo, & quamquam ferus, audit Amorem.
Molis at elatæ quà clara toreumata lucent,
Oebalij radiant, felicia Sidera, Fratres,
Queis dedit, & Numen, curamq; Neapolis olim
Vana ſuperſtitio. Soboles Ledæa micantem
Verſicolore ſinum velatur cyclade, flamma
Plurima quam pingit, rutiloq; nitentia cultu
Tempora, feliciq; comas illuminat Aſtro.
Ambo haſtile gerunt, & vtriq; ſerenior ora
Ambit honor iubaris, ſeſeq; reciprocat ignis.
Inferiùs ſua teſtatur cunabula Siren.
Cæruleo accinctus iacet hìc Achelous amictu,
Colliopenq; tenet, iactat quos ipſa Parentes
Parthenope, atque aliæ, pulcherrima monſtra, ſorores.
Nec procul aſſurgit ponto circumflua Neſis,
Et Prochyte, & qui Baianis velatus Echinis
Aëra Pauſilypus reſpirat ab ore benignum,
Temporaq; æternis ſua Veſuius impedit vuis,
Vici-

Digitized by Google

Viciniſq; illi vindemia fluctuat vndis.
Parte alia, rutilo quà ſe molimine tollit
Concha, gregis Paſtor Neptuni in limine Protheus
Surgit, & ille comam viridi circumdatus alga
Membra grauat ſquammis, teloq; tricuſpide dextram;
Namq; hamis læuam conſerta trilicibus implet
In longum ſeſe nexu intricante catena,
Quà trahit immani deductum pondere cetum,
Quantum Atlantæo nunquam timuere profundo,
Qui mare cæruleum, atque alieni limitis Orbem
Quærentes longè Malabarica regna pererrant.
At, quà ſublimi tollit ſe pegmate moles,
Ingreditur ſolio Siren innoxia fuluo;
Cui procul Auguſto radiat diademate crinis,
Crine latent humeri, perfuſaq; brachia velo,
Et fluit intexto veſtis pretioſior auro,
Fibula quam nitida mordebat iaſpide fuluam
Ante ſinum, gremio nam pars quæ decidit alto,
Deficit in piſcem, quam gemmea veſtis inumbrat,
Quæ nam gemmarum manus emollire rigorem
Edidicit, nitidi vt caderent in fila ſmaragdi,
Queis vnum conſletur opus, curraⁿtq; rigenti
Deducta in pretium latè ſubtegmina textu?
Laurigeram gerit illa chelym, ſonituſq; maritat
Cantibus, at non queis ſcopulis impingere nautas,
Sed dare queis ſcopulis modò ſenſa nouiſſima poſſit.
Tum ſic orſa loqui: tenuere ſilentia vulgus.

Illa

Illa ego vocalis Regina innoxia plectri,
Illa Dycarchææ Regina potentior vndæ,
Nuper ab æquoreis digreſſa Penatibus oras
Chalcidicas petij, Sebethicaq; arua; domoſq;
Inq; meis me quæſitura receſſibus exj;
Non vt dulce malum meus inſerat auribus vltro
Cantus, & attonitas ſiſtam modulamine puppes;
Hi quondam placuere canora per æquora mores:
At modò bella placent, nuper famulata Gradiuo
Arma inter pelago emerſi, belliq; ſequeſtram
Non me in delicias, animumq; re dire priorem
Viderit vlla dies, terramq; Vrbemq; ſubiui
Auſtriacum venerata Ducem, me namq; Sorores
Edocuere, meus quicquid modò litore Cæſar
Geſſerit in Libyco, veluti narrarat eiſdem
Bagrada Cyniphiæ ſegnis ſulcator arenæ.
Dixit arenoſos ſe iam lambiſſe receſſus
Tardiùs, & lento ſudaſſe in flumine, lymphas
Vt traheret, ripis dubio coëuntibus amni
Scuta Virùm, galeæq; & truncis agmina membris
Vſque adeo fecere moram, longumq; ſtetiſſet,
Ni ſanguis iuuiſſet aquas, cum bella minatus
Carolus in Libyam armatum transfudit Iberum,
Et libuit finem Libycis poſuiſſe Tyrannis,
Illius ad nomen nigri cum Regia Bocchi
Palluit, atque metu, quàm Gorgone, veriùs Atlas
Diriguit, tremuitq; procul, quo ſidera motu

Impu-

Digitized by Google

Impulit, vt, quà ſe montis ceruice locauit,
Deficiente, ſui dubius nutarit Olympus.
Hinc ego iam fractis referentem cornibus Auſtrum
Victorem accipiens gremio, ad ſpectacula mecum
Adduxi fatis equites melioribus vſos;
Queis, dum forte ſalum varijs vrgere carinis,
Et placuit toto fortunæ euenta profundo
Quærere, fluctiuagi cecidere in viſcera monſtri.
Nec verò fas digna die ſepelire tenebris
Sæcula erat, monſtriq; inter traducere vitam
Viſcera, ſi vita eſt diuturnæ viuere morti.
Ergo agite, ò fortes animæ, regna horrida noctis
Linquite, carceribus pateant modò limina ruptis,
Reddite lucem oculis, & vos met reddite luci.
Hæc vobis ſtat digna dies, non aſpera noctis
Vmbra, licèt veſtris percuſſa nitoribus omnis
In lucem nox atra meet, radiataq; fundant
Arma diem, Virtus queis ſæpe niteſcit amica.
Vix ea, cùm Protheus dextræ geſtamen eburnum
Erigit, & vaſto contorquet turbine, & illud
Iam procul it dextræ memor, atque in tergora ceti
Figitur: extemplo dirimit ſe in vulnera tergus,
Plenaq; bellorum patuerunt viſcera, pandit
Regia Gradiui loca fœta ferocibus armis.
Ac velut Argolicæ confeſſus munera fraudis
Emicuit ſonipes, cui decreuere ſuperbo
Dindyma, & arboribus viduata comantibus Ida,

Non

Non ſecus è clauſtris equitum magnum agmen in auras
Redditur, èque cauo fortes ſe corpore promunt,
Et magni patuere animi, ſua quiſquis in armis
Prælia molitur, generoſaq; lumina voluens
Cornipedem premit imperio, tenebraſq; peroſus
Spirat inexhauſtum famæ melioris amorem.
Primus init lucem Leucippus, & arma Parentum
Non falſus virtute mouet: cui candicat albus
In clypeo ſonipes, albus quoque prælia miſcet,
Inq; armis deſudat equus, cuiq; haſta vetuſtus
Alpium honor, cuius ſtant ictibus inuia nunquam
Armaq; pectoraq; & voti manus irrita nunquam.
Illum autem Italicæ labentem à cardine portæ
Alpini nuper miſere cacumina Tauri.
Proximus Euriſthus, cui floreſcentia fulgent
Arma Patris, quæ tu pallens Hyacinthe coloras.
Ipſe etiam prima florens lanugine malas
Armiſq; & vultu vernat, Tiberimq; paternum
Liquit Iuleæ germen memorabile Gentis.
Illum Tarpeia ſonipes Rhodopæus ab arce
Geſtat in arma minax, vmbraq; immanè Theatrum
Omne replet, manditq; lupos, & puluere campum
Attollit, volucreſq; hinnitu prouocat Euros.
Hinc, & correptis ſimulata in prælia frænis
Frangit equum, monſtratq; quid audeat enſis in hoſtem
Iordanus, ſeries cui ducta recenſet ab Vrſa
Per faſces Atauos procul, & per ſceptra Parentes.

Ille

Ille ſed à ſeſe, quàm Patrum ab Stirpe, ſuaq;
A virtute genus ducit magis. Igneus olli
Seruit equus, cui pompa tumentis inundat in armos
Crinis, & in patrium rutilans expanditur aurum:
Namq; Tagus natale vadum dedit aureus, & ſe
Per crinem, per colla pater per terga refudit.
Aſt Equiti tremulo nutant in vertice criſtæ,
Caſſidaq; effuſis ſubnititur aurea pennis,
Quas coni de parte ſuo ſplendeſcere cogit
Igne Lycaonij Sidus gentile Tyranni,
Arctoiſq; micans flammis vomit aurea puros
Vrſa procul radios, & lumine lumina lædit;
Ingeminatq; ſolo lucem, & iacit igneus haſtæ
Lumen apex, clypeiq; nitens perfulgurat orbis;
Quà ſua, ſed Phœbi meliora, roſaria ſeuit
Gloria, quæ Borea nunquam perſtricta, nec vllis
Occubitura Notis æterna in ſæcula vernent,
Perpetuaſq; ornet ſemper ſua gloria virgas.
Quin & Carnorum decus immortale ſuorum
Ferdinandus adeſt; cui puro Lilia ſulco
Albeſcunt, & ſena rubro ſtant conſita campo.
Ille, licèt ſanguis ſibi ſurgat honorus Auorum
Negligit à priſcis tranſmiſſa parentibus olim
Nomina, nec laudes, & Auùm mendicat honores,
Namq; ipſi pars maior erit, quæ fortia complet
Pectora, & in dextram ſeſe diffundere Virtus
Gaudet, & antiquas longùm preuertere laudes.

S At

At gemini, quos iunxit Amor, quos Ianua quondam
Vna, eademq; die diuerſa ab origine vidit,
Et pretioſa ſuo dedit incunabula Cælo;
Victor, & Albertus iunxere in pignora dextras.
O quàm firma fides: tanta vix Theſea duro
Pirithoo perhibent partitum extrema; nec ipſum
Obiecto Piladis quondam certamine Oreſten
Maturaſſe necem, ſibi ne diſcordia fati
Præriperet ſua fata, ſibi quæ poſceret alter.
Par animus, par forma viris, par gratia formæ:
Stant habitu quibus arma pari, quibus exit in auras
Æquus apex galeæ, paribuſq; it caſſida criſtis.
Diſſidet in clypeo tantùm, & ſua iactat vterque
Signa Patrum. Turrim latè gerit ille minantem,
Quam ſuper expanſis pennis Iouis Ales inumbrat,
Ipſe velut Diuûm ſua fulmina commodet Arci
Rector, & è Cælo volucrem demittat, vt arma
Aut gerat, aut ſumat; commune hæc machina nempe
Cum Ioue fulmen habet. Tu verò Alberte Parentum
Vndantem in clypeo geſtas ſine litore pontum,
Quandoquidem pariter nullo tibi limite virtus
Vndat, & Oceani in morem ſe terminat aſtris.
Naupolio ſimul arma mouet, natalis origo
Cui par, ſed non ſunt eadem, quæ cætera iactat,
Arma viro, Pubes: illum quoque Ianua miſit,
Ianua magnanimum ſemper fæcunda virorum,
Virtutiq; patens, namq; hæc cùm viſerit orbem,

Nuſ-

Nuſquam aliud, quàm, quod ſua Ianua præbet apertum,
Limen habet. Iuuenis nitidas hæc flectit habenas,
Tranquillum hæc rigida manus aëra verberat haſta;
Luce oculos agitat thorax; riget aurea tergo
Luce clamys, multoq; latus perfulgurat auro.
At geminum in clypeo volucrum diademate cinctum
Attollit Regina caput: terraſq; peroſa
Tendit iter Cœlo, cognataq; Sidera mauult.
Dumq; volat medio de pectore ſigna per auras
Oſtentat; rubrum dirimit nam tænia campum
Diſcolor, atque illi ſtat cuſpide fixa tenaci
Spina, ſed haud longè rubicunda roſaria promet,
Hoſtis ſi vero pertentat prælia bello.
Thyodamas mox ecce ſubit, Cleouſq; Thoaſq;
Ætnæi Fratres; ludo Trinacria miſit,
Quos pridem & bello dedit: Amſalonius illis
Pugnandi præcepta tulit, ludiq; recentis,
Formauitq; Equites, & equeſtribus intulit armis.
Nec Iuuenis deerat, fecit cui nomina Laurus
Nata domi, quam Phœbus amat, Phœbumq; ſecuti,
Quam claro ſudore rigant; cui Pallas Athenis,
Cui migrant Helicone Deæ, quà dulcior alta
Surgit humo, & multa Tiberim ſibi protegit vmbra.
Olli etiam clypeus, galeaq; vireſcit honore
Frondis apex ſacræ: gemini ſcuta inclyta Piſces
Penè ſecant, nolletq; alios iactatus Arion
Æquore, nec Titan alios luſtrare per Axem

Lucidus; hos mallet currus in vincula Doris;
Cederet his Cœlo Delphin. Tres ordine Siren
Natorum in ludis præbet generoſa ſuorum.
Primus it Alphonſus, quondam cui nomina fecit
Carra Parens, magnumq; dedit Germania germen,
Tuq; comes Lundulphe, eadem qui germina iactas;
Hoſq; inter ſublimis equo ſtat Vaſtius Heros
Gilulphus: rutilum galeæ ſtat cuiq; nitentis,
Criſtatumq; iubar, clypeiq; ſerena rubeſcit
Lux procul, & ſolido Solem ferit æmulus auro
Orbis, qui Libycos etiamnum afflare labores
Cernitur, & toto perfuſus turbine belli
Horret adhuc; hos magna Equitum in certamina cœtus
Inſequitur: ſunt arma viris, ſunt ſigna Parentum,
Immenſiq; capax animi ſtat robore pectus,
Et cuiq; acer equus, ſubeuntq; patentia campi,
Ceu tres nubigenæ, Rhætuſq; Pholuſq; feruntur,
Deſcinditq; alto duplex Hylæus ab antro;
Linquentes Pholoën, Homolenq; Othrymq; niualem;
Præbuit Oſſa vias; latè nemora alta citato
Procubuere gradu, pecudeſq; feræq; tremiſcunt,
Ingenti donec ſubeant ſtagna inuia ſaltu,
Maximaq; obiecti diuertant flumina ponto.
Interea belli ſignum Mauortia contra
Claſſica dant. primas fragor æreus excitat haſtas;
Addunt læta ſonum Sebethica litora; rumor
Antra replet, redduntq; omnes vaga murmura colles.

Me-

Methymnaus Eques micat hinc, hinc bella minatus
It Leucippus equo, & totis ſtat viribus haſtam
Delibrans: haſtis iam deſuper aura remugit,
Subter anhelat humus, nec ſe in certamina tanta
Nunc putat eſſe parem, curſuq; emiſſus equorum
Nunc imas retegit, nunc obruit æſtus arenas.
Et iam partito concurritur vndiq; campo,
Vt Notus, & Boreas diuerſo à limite pugnant,
Ille æſtus Libycos, Ryphæas iſte pruinas
Impellit, geminoq; tremit de cardine tellus.
Non ſecus aduerſo directus tramite vterq;
Poſcit Eques bellum, atque animis hortantibus æquor
Puluereum complet, ſine cuſpide pulſat vtraſq;
Haſta ferox galeas, atq; vtraq; frangitur haſta,
Inq; auras, inq; aſtra volat; victoria neutri
Ceſſit, & inuicto virtus ita fauit vtriq;.
Exin ſorte Creon illinc, Euriſthus in arma
Hinc celer accelerat; bellatoremq; ſuperbus
Campum operit, victuſq; Creon concurſibus altam
Pulſat humum. Subit arma Lycus, ſubit arma ſecundo
Iordanus bello felix, atque ilicet alter,
Atque alter pugnam præbet, diuerſaq; pugnæ
Congreſſum fortuna dedit; ſeu mutua perdunt
Vulnera, ſeu virtus palmam, ſeu maior inane
Caſus agit virtutis opus; meritiſq; recenſet
Præmia, cuiq; decus cuiq; & ſua munera reddit;
Itq; alacris Pubes, palmaſq; oſtentat amicas.

Phæ-

Phœbus at interea emeritus diademata ponit,
Heſperijq; maris gremio commendat honorem
Frontis, & aſtriferum ſubito nox occupat Axem,
Incuſſiſq; vmbris, ludumq; diemq; diremit.
Sed tamen hic quandoq; in triſtia funera ludus
Degenerat, magniq; parat ſpectacula luctus,
Seu frontem pulſat, ſeu pectora verberat haſta.
Argos te moneat, Pelopeiadeſq; Mycenæ:
Quem mærens quondam de Principe Græcia caſum
Conſpexit, nimius læſit niſi lumina fletus.
Argolicos latè campos ditione regebat,
Et gemino ditata mari ſpatioſa Corinthi
Mœnia, & in medijs audita duo æquora campis,
Meſſeneſq; ſolùm magnæ Pelopeius Arcon
Mente, manuq; potens, & adhuc ſatis integer annis,
Plurima qui domitis potuit ſpolia ampla referre
Hoſtibus, & claros victor meruiſſe triumphos.
Illi natus erat, natumq; Alphenora dixit,
Fecerat hac vna Cœlum quem prole parentem,
Qua tamen & cunctis Patribus præſtantior ibat
Arcon; nam ſobolis compenſat damna fecundæ
Alphenor, roſeaſq; licèt non dum aſperet vlla
Vmbra genas, nec dum formoſa receſſerit illi
Mater ab ore, nimis Genitor tamen aſper in armis
Corda; manuſq; replet, virtuſq; paterna miniſtrat
Robora, & ingeminat meliorem in pectore laudem.
Hic ſceptrum, & tantas ſeruabat filius ædes,

Qui

Qui iamiam clarum Genitorum in nomen iturus
Maiorum ſtudium, moresq; imitatus, & artes
Complebat toto felix præcordia Marte.
Iamq; ingens Puero magnis vibranda uitebat
Dextra rudimentis, quoties ſudabat in haſta
Fulminea, iuſſum mentiri neſcius ictum:
Doctus equo ſinuare fugas, ſubitosq; recurſus
Flectere, & in gyros certum tractare lupatum.
Felix ò nimium, ſi non ceſsiſſet Amori;
Quem non vicit Amor, lunata fronte coëgit
Qui mugire Iouem? Iuueni ſata Rege Thoante
(Qui tunc extrema ſceptris ætate regebat
Ogygios agros, & quæ rigat æquora Dirce)
Oſsibus implicuit flammas, quam vidit, & arſit
Alphenor, Virgo innuptæ cùm limen adiret
Pallados, atque aras, quas alta ſacrarat Ithone;
Vidit & illa virum, & placuit vidiſſe Puellæ,
Quæ ſimul ardebat, longumq; bibebat amorem.
Iamq; loqui cæpere ſimul, dextrisq; prehenſis
Promiſere thoros; fudit ſuper ora ruborem,
Deiecitq; genas Virgo, primosq; Mineruæ
Priſcorum exemplo thalamos excuſat auorum.
Virginis interea promiſſo munere gaudens,
Elatusq; animo patrias remeabat ad Arces
Alphenor, ſed clauſit iter Peneus eunti.
Namq; ibi, quò validis ſeſe oſtentaret in armis,
Nectere forte moras voluit, Phœbe aurea donec

Tunc

Tunc vacuum radijs totum compleuerit Orbem.
Ille moram fecit, longum quà mollior vndis
Accipiens pontem Pario de marmore molem
Suſtinet, & niueis ſeſe arcubus implicat amnis.
Hìc etiam Iuueni Phœbi memoratus amores
Auget Amor, camposq; tenet, Peneiaq; cernit
Litora, vbi Phœbus tenui modulatus auena,
Et paſtorali diſperdens ſibila canna
Daphnen ſub duro fertur defleſſe virentem
Cortice, & amiſsi potaſſe obliuia Cœli.
Hìc cunctis vetat ille viam, qui fluminis vndas,
Gurgiteq; aduerſam ſuperato attingere ripam
Optarent; Iuuenis niſi qui laudauerit ignes
Nullaq; maiori torqueri pectora flamma
Ore fateretur, cauſas has indidit armis.
Hìc equites vicit centum deponere iuſſos
Enſesq;, clypeosq;, atque arma inſignia palmæ.
Fixus equo pugnat, nullisq; ab ſede mouetur
Vulneribus; ſiquidem qui vulnera paſcit Amoris,
Vulnera non alio curat venientia telo.
Alpini qualis Regina cacuminis extat
Quercus, & vrgentes deridet flatibus Euros,
Sideribusq; caput, plantasq; immergit Auerno.
Ionio ſeu nata ſalo, pulſata profundo
Perſtat vti rupes, licèt illam verbere quaſſet
Nereus vndanti, furiasq; impingat aquarum.
Iamq; per Argolicas non falſo murmure terras

Fama

Fama volat, centumq; replet ſermonibus Vrbes,
Adueniſſe Virum memorat, quo fortior alter
Non erat in magnis, neque pulchrior alter Achiuis;
Fortior in Phrygios Graius vix iret Achilles,
Pulchrior in Graias neque Phryx Paris iret Amicas.
Sed Pueri notum tenuere ſilentia nomen;
Facta tamen didicit populus, Regisq; per aures
Rumor ijt. Quantus validis aſſurgat in armis
Hic Eques, experiar, Rex inquit, & arma parari
Iuſsit, quadrupedemq; trahi, ſeq; induit armis
Ilicet, atque viam rapuit: cùmq; adſtitit amni
Proximus, vrit Amor mea pectora fortiùs, inquit,
Maioremq; mihi ferus oſsibus implicat ignem.
Alphenor magni neq; dicta, neq; arma Parentis
Nouit, namq; alijs ſeſe ille occluſerat armis,
Ne fortè auferret Regis reuerentia pugnam.
Iamq; Arcon longè campum rapit, ilicet alter
Campum, atq; arma rapit, viſurus iudice ferro,
Quis maius toto nutriret pectore vulnus.
Largus vterq; animorum: augent ſpem facta Parenti,
Spemq; auget Nato vinci iam neſcia virtus:
Quisq; ſuam valido venturam pondere pinum
Libraturus equi calcare laceſsijt armos.
Cornipendum iam colla tument, ſtantesq; retorquet
Aura iubas; procul effoſſa ſparguntur arena,
Dum volat, emiſſa fugientis arundine Parthi
Ocyor ardenti ſonipes impulſus ab ira,

T *Ira*

Ira Equitum magna : neque enim feret iſte priorem,
Nec feret ille parem : quatit haſtam ſæuus vterque,
Sæuus vterq; necem molitus. At excute mentem,
Quam geris Argiuùm Rex magne; quid efferus vrges
O genitor? ſi tu noſſes, cui vulnera portas,
Barbara ab inſanis tua dextra faceſſeret armis,
Nec mortem inferres, cui tu vitam ante dediſti.
Et ſi te proles norit, tua maxima proles,
Exuet arma manu ſanguis tuus, exuet arma:
Ponere non hæc ille perempto Patre putarat
Cruda rudimenta, & triſtis diſcrimina ſortis
Aſt vbi digreſsi per plana noualia campi
Corripiunt ſpatium medium, belloq; propinquant;
Quadrupediq; magis quadrupes iam proximus inſtat,
Rex haſtam incaſſum nati direxit in ora,
Nam cadit illa inſons, & inanes verberat auras,
Vt magis irato fuerit pia lancea Patre,
Infelix nimium, ſi felix illa fuiſſet.
Et Nati quoque certa manus, quæ vulnera nunquam
Fallax intulerat, didicit tunc vulnera primùm
Ignorare; viam clypei conata per orbem
Haſta fugit, perq; ora meat; ſcutiq; ſupremum
Marginem in extremos humeros vicina cruori
Tranſilit: at tandem quid profuit error vtriq;
Si Patris, ac Nati patrarunt corpora, quicquid
Non potuere manus, valuit pro vulnere robur,
Percuſsitq; furor: nam qui furit impetus vrget.

Sic

Sic equites inter ſe, vt corpora clauſa ſub armis
Concurſu quaſſata ruant, quaſſuq; furenti
Ilia concluſus concuſſa ſit halitus inter,
Oppreſſusq; armis, ægroq; arctatus hiatu,
Nec potis ire viam fractum, obductumq; cadauer
Circuit, vt tandem vix ipſo ex ore recludant
Singultantem animam, duraq; in morte natantem,
Quam thorax tumidos nimiùm anguſtarat in artus.
Nobile par Equitum, miſeraq; in ſorte beatos
Dixeris; alterius gemeret quò fata, ſuperſtes
Cùm fuerit fato neuter, ſed fleuit vtrumq;
Græcia, & antiqui remanent veſtigia luctus.
Par etiam quondam vidit lacrymabile fatum
Gallia, pacatis dum ſeſe exercet in armis,
Ludicraq; Henricus populis ſpectacula præbet,
Infelix haſtæ in frontem deceſsit adacto
Fragmine per galeam, & fata in feralia ludos
Tranſtulit, vt vix hæc miſſos in funera luctus
Caſtigarit Hymen, qui tunc regalia luſu
Atria feſtiuo, lætoq; repleuerat igni,
Iamq; reos lethi ludos, ipſumq; ruinæ
Gallia deteſtata locum replet atria fletu,
Et vacuos pleno ſuſpirat lumine Campos.
Aſt animus quoties ſubijſſe pericula tanta
Horret, & innocuos tandem ſine crimine ludos
Exercere parat; rutilo micet Anulus Orbe
Penſilis à fune, & tantùm ſe tollat in auras,

Quantùm extenſa equitis ſuſpenſum dextera tangat.
Hìc autem celeri quadrupes veſtigia greſſu
Torqueat in curſum, medioq; in calle reclinet
Paulatim incumbens eques, haſtam, & certior orbem
Impetat, vt felix illum tranſuerberet ictu,
Compleat & toto victor ſpectacula plauſu.
O quas inſpectans miratum præmia vulgus
Æſtuat in laudes, ſpemq; in noua gaudia transfert,
Cernit vbi quantas carpat victoria palmas,
Quoque Equiti impediat victricia tempora ſerto
Præludens armis, & Marti proxima virtus.
Siue rotare pilas iuuat, & decernere iactu,
Et certa vibrare manu argillacea longè
Pondera, cum clypeo contrà iaculabile robur
Accipiens expectat Eques, redditq; viciſſim
Pondera, & ingentem iactu tranſmittit in hoſtem
Cominùs, & certo dare verbera deſtinat ictu;
Impiger inq; oculos, inq; ora, latusq; minatur
Atque aliò fallax inopinum interſerit ictum.
Et ſi nulla etiam meditanti vulnera cordi eſt
Ludus, Eques terræ tantùm inſultare patenti
Cùm ſtudet, atque haſtam libet hoc perrumpere curſu.
Parte ſub extrema licet haſtam ſumere, at illam
Cornipedis ſupra geſtet caput altiùs, atq;
Sub gemina extentum dextrum ferat aure lacertum,
Atque vbi ſe ſonipes in curſum proijcit, haſtam
Tollat Eques, durumq; ſolo defigat acumen,

Sed

Digitized by Google

Sed læua de parte, lacerti vt robore, & ira
Precipitantis Equi centena in fragmina pinus.
Soluatur, fractiſq; ager aſper inhorreat haſtis.
Tydides fertur furiali percitus ira,
Quòd Veneris demens, temeraſſet vulnere dextram,
Alliſiſſe ſolo, Diuam qua barbarus, haſtam
Impetijt, quò fracta daret pro ſanguine pœnas.
Exin, Gargani cùm victor Iapygis agros
Incoluit, Veneris ſerò vt pius iret ab ira
Tutior, hos docuit ludos, Diuæq; ſacrauit;
Quæ dedit Ætolùm Populis ſpectacula pubes,
Luſtrauitq; nouo commiſſa piacula ludo.
Aſt animo ſi forte magis, cui nomina fecit
Maurus, erit ludus: pálum defigat arenæ,
Lignea cui ſuper, at multa reuolubilis arte
Stet moles imitata virum, cui caſſida frontem
Obnubat, clypeiq; tegant munimina pectus;
Deq; manu ternas nodo permittat eodem
Contextas, iunctaſq; caput ſimul ire catenas
Proniùs, & ſummo reſoluta è vertice fila
Serpere det ſparſim, atque extremis implicet oris
Ferratos orbes, dextraq; vltrica tela:
Namq; adeo ſeſe verſatilis vndiq; motet,
Vt, quoties illam currentum verberat haſta,
Vindictæ in ſpeciem ipſa etiam ſua vulnera reddat;
Ferratiſq; humeros equitis petat orbibus vltrix.
Seu libet immotam terræ componere molem

Aere

Ære grauem, tenui quo ſeſe Martia ludo
Exercere paret, belloq; accendere virtus.
Qualia Agonali forſan ſpectacula Circo
Roma dabit, Pubeſq; acrem certabit honorem
Dardana, vbi moueat nudas in prælia vires,
Et placeat patrio iam præſudare Gradiuo.
Nempe Paretonij Tiamum Regina Canopi
Memphis in arma dabit, vetereſq; rependet honores,
Vt palmas inter Pharias miſcere Latinas
Ille queat laurus, laudandaq; prælia Nili
Aſſurgens veteri cernat Tyberinus ab alueo:
Siq; olim Memphi Latij connubia Matres
Optantes primum ſuſpirauere pudorem;
Coniugia Ægypti Matres inhiare Latinas
Cernat; at inſano reſpirent Actia bello
Litora, nec tumidis Leucathes ferueat armis.
Vt Memphis potes, Romaq; Acheloe cruorem,
Ionios flauo pellens, tibi vertice fluctus
Actæas in nomen aquas tranſire profundi
Ingemis: at læto deſcendat pronuba Cælo
Vranie, ſecumq; ſuam ferat Æthere Prolem
Sunt & arundinei, quos præbet Iberia ludos
Illa Ducum, Regumq; parens, cui pronus amico
Phœbus anhelantem ſubmittit ab æthere lucem.
Geſtet eques clypeum, qui toto à pectore claudat,
Sicut Amazonijs claudunt ſe pectora peltis;
Ceruina at clypei cingat ſeptemplicis orbem

Pellis,

Pellis, in hunc tenuis ludo iaculatur arundo
Læuis, in extremum quæ ſeſe inſpicat acumen,
Fitq; grauis plumbo, vibrata vt certior ictum
Portet, vbi crebris pugnatur iactibus vltro,
Nil ſpatio fallente modum, ne vulnera perdat
Error, ſed certum ſolertia destinet ictum.
Cùm primùm ingreditur, campo ſpatiatur aperto.
Agmen vtrumq; Ducum, ductorem quiſq; ſequatur,
Cornipediq; graui laxet retinacula curſu:
Mox verò torta ſimulans in arundine bellum
Comminùs aut vrget, vel comprimit eminùs hoſtem,
Et modò ſectatur, modò Marte fugatur eodem,
Et valido ſimulat timuiſſe excuſſa lacerto
Spicula, quò varius teneat ſpectacula plauſus.
Nam textas ſic lege fugas ſinuare per agros
Eſt opus, vt certa prodant magis arte vagandi
Certos errores, inconfuſoſq; regreſſus.
Pulchrè etiam iactata manu tu ſpicula ſume
A clypeo, & clypeus tibi tela in bella miniſtret;
Nec ſit opus pharetra, fixis quando vndiq; telis,
Geſtat arundineam ſcutum impenetrabile ſyluam;
Tela cape, inq; hoſtem ſimili redeuntia torque
Turbine: quò doctè per quas modò fugerat auras
Cuſpis iter reuocet, verſumq; à fine tenorem
Perferat, atque illinc pariter reamabile bellum
Alter agat, dominoq; aduerſo, dum leuis ictu
Itq; reditq; alios promittat arundo recurſus.

Sed

Digitized by Google

Sed neque me teneant ingrata obliuia ludi,
Quem præbent Equites, tædas cùm quiſq; micantes
Geſtat, & in nitidum cogit per lumina noctem
Degenerare diem. Quotquot libet ordine longo
Huic Equites ludo inſudent, cogantq; nitentes
Semper inocciduas manibus ſplendeſcere tædas:
Seu bini incedunt; ſeu nunc diſcriminat agmen
Ductor, & extremum redeunte à limite gyro
Vngula carpit iter, ſeu voluitur agmen apertum
In diuerſa ruens, ruptoq; choreumate ludit,
Et gemino Samij formatur litera curſu.
Iſta Ceres Natæ docuit lætata repertæ,
Sicaniiq; Equites ſpectacula prima dedere:
Nempe ita magna Ceres nocturna ſilentia quondàm
Duplicibus fertur facibus rupiſſe per Orbem,
Dum pleno raptam rimatur lumine natam,
Quæ Phlegetontæo nuper ſociata marito,
Miſſaq; in imperium magnum ditione premebat
Regna ſoporiferæ nunquam radiantia noctis,
Elyſiamq; plagam, & ſi quam inferiore barathro
Altera nox, nigriſq; grauat damnata fluentis
Styx, & Auernalis truculentior arbiter vndæ:
Sed poſtquam Siculis Genitrix Natam excipit oris.
Tartareoq; Duci fecti iam computat anni
Læta dies, & iuſſa Iouis ſecura repoſcit,
Vt partita moram ſenos cum Matre per annum,
Cumq; Viro totidem videat Proſerpina menſes,

Trina-

Trinacriæ totam ciet ad ſpectacula Gentem,
Et quos Ætnæo prebet ſub vertice ludos.
Thyrreni Regina freti Trinacria ſurgit
In medijs ſublimis aquis, redimitaq; flammis
Regnat, & æquoreis trabeata ſuperbit in vndis.
Quà ſolido tumet Ætna ſolo, vicinaq; Cœlo
Flagrat, & ipſa ſuos Phœbo communicat ignes,
Enceladumq; premit, ſepelitq; vritq; rebellem,
Extinctiq; eadem rogus, & ferale ſepulchrum eſt.
Quà ſonitu reboat, nigræq; incendia flammæ
Euomit, & veteri reſpirat fulmine ſulphur
Impoſita ſub mole Gigas, axemq; diemq;
Fæda nube grauat, quaſſatq; tremoribus oram.
Stat præruptus apex, & hiant latera aſpra cauernis
Sulphereos iaculata globos, cineremq; nigrantem.
Semper vbi irato tonat, igne ſuperba, boatu,
Reſponſant longè valles, motiſq; reſultat
Scylla fretis, dubium ripis fragor excitat æquor;
Ipſaq; Leucothoe natum freta nota ſecantem
Auertit, gremioq; Palæmona ſæpe timentem
Preſſit, & in medio verita eſt incendia ponto.
Sed quà radices diffundit in arua patentes
Diuiſum imperium campi ridentis, & anni
Poma ferens Autumnus habet cum Vere benigno,
Pampineoq; latent omnes ſub palmite colles;
Floribus halat humus, crinitur frondibus arbor;
Quàque pateſcit ager, numeroſa falce laborans

Multa Ceres medijs fluitantibus vndat ariſtis.
Hic pompæ delectus ager, ludoq; beatus,
Quà viridi ſaltus vallem obſidione coronant,
Et gemino obiectam colles vmbone coërcent,
Nec campum prodire ſinunt, aſt vndiq; formant
Aulæis nulla viridantibus arte theatrum.
Huc Populi properant, quò læta vocauit Eleuſis:
Quot ſæpe in ſyluis anno vertente volucres
Flabra ferunt ſteriles Aquilonis ab arbore frondes:
Quot rapidum per inane Grues procul æquora tranant,
Immenſumq; ſuis inſcribunt aëra pennis,
Seſquipedes cùm bella vehunt raptura maniplos;
Tot ludo coëunt Gentes, tot adire laborant,
Ceu conuulſa ſuis radicibus omnis ab imo
Ad Cereris pompas accurreret Inſula fundo:
Vſque adeo cunctas excit Proſerpina Gentes
Quam magni Iunonem Erebi gens læta, feriq;
Reginam appellat mundi, quæ Tartaron atrum,
Cocytonq; nigrum, & Phlegetonta coërcet iniquum.
Cuius Auernales iam depoſuere ceraſtas
Ante pedes Furiæ, reuolutaq; penſa Sorores,
Corpore quam triplici longè proiectus adorat
Cerberus, & ſolido contorta adamante Gigantum
Turba, & centeni rabioſa Ægeonis vmbra:
Cui caligantem verſat Gorthinius vrnam
Arbiter, & iuſſu ſontes inquirit in vmbras.
Iam Matri gratata venit Gens ſi qua Pelorum

Inco-

Incolit, & tumidis reboantia litora monſtris,
Litora Scyllei tunc formidata profundi,
Zanclæosq; ſinus, vbi nunc Meſſana ſuperbit
Celſior, & portus loca reddidit Hoſpita mundi.
Imperio diues quà tunc tractabat Iarphon
Sceptra Gigas, ſociamq; ſibi iungebat Amatam.
Quam Cyane, & Cianes quam nutrit amator Anapis,
Quæq; colunt latè Lilibæa cacumina Gentes,
Et quæ ſpumanti ſulcant freta rupta Pachyno,
Quasq; Arethuſa lauat; Siculis licet aduena terris,
Quæ modò, quamquam humeris vicinus inhæret amator,
Iam negat ire fugax, ſua iam veſtigia ſiſtit,
Et modulos mirata nouos tibi collocat vndam
Balducci, *Siculis cum tu modulatus in oris*
In patriam felix Arethuſam plectra ſecutum
Alpheo mirante omnem transfuderis Arnum.
Seu tu Pindaricos animas ad carmina neruos,
Siue armas Hetruſcum Heroa ad robora plectrum,
Ipſe tibi Pindus Syluas indulget, & amnes
Totaq; Pegaſeos tibi ſuſcitat vngula fontes.
Tunc Equitum plenam Mater gauiſa cohortem
Inſtruit, & manibus tædas conceſſit anhelas
Igne, quibus iam pompa daret nitidiſſima ludos.
Atque hic ſpectantum tenuit præcordia luſus,
Et tenuiſſe iuuat, terrasq; meauit in omnes,
In quas & Cereris manarunt munera frugum,
Lumina cùm nigram perdunt radiantia noctem.

Digitized by Google

At Tarteſſiaco liber iam carcere taurus
Peruolat , & totam mugitu exaſperat iram
Naribus accenſis , oculiſq; rubentibus atro
Lumine, lunataq; rigens in prælia fronte
Creſcit.Inexhauſtæ qualis fuit impetus iræ,
Ægides cùm dira tulit ſtipendia Tauro.
Aut olim qualis terræ ſacer horror Achææ
Damnauit pauidum trucibus Marathona fauillis.
Tunc autem,vt taurus magis exardeſcat in hoſtes,
Cornua ſubiecto, pelliſq; cremantur ab igne,
Nec non inſtruitur, ferroq; armatur arundo
Miſſilis,hanc oculos turba emiſſura,manumq;
Conſulit, vt certo in Taurum contorqueat acrem
Turbine,& inſtimulet percuſſo in corde furorem.
Tunc eques immani bellantem fronte iuuencum
Percutit, & rigida venientem fulminat haſta,
Et curſum tendit,ferratoq; ilia vexat
Calce ferocis Equi,dextraq; oculiſq; minatur.
Sed celer hinc ſonipes curſu declinet ab ictu
Hiſpanus ſonipes,ferat & veſtigia patre
Mobilior Zephyro,rapidoq; citatior aſtro,
Taurus vt incaſſum crudelia cornua vibret.
Det tellure ſonos, & caſſo vulnere raptim
Tranſiliat,fallatq; ictum, & diſſultet arena
Liberior, flectatq; per arua patentia curſum.
Prouidus vt dubia cautè ſolet arbiter alni
Declinare ſalum, atq; vndarum verbera claui

Defle-

Digitized by Google

Deflexu, Æolij cùm carceris obuia cernit
Agmina, & Olenijs ſæuum Oriona ſub aſtris.
Vt periere viæ, tunc prima ad bella relictum
Ille retexit iter diuerſo à limite gyro;
Atque hìc dextra equitis minitantem affulget in enſem,
Tarraco quem vaſta dedit à fornace refuſum,
Belligeroq; malum tauro furiale rependit
Fortis eques: iuſtis nunc viribus impetit hoſtem,
Atque audax animis inſtatq;, & obumbrat, & vltro
Aſsilit, & nunc cornipedis veſtigia torquet,
Nunc redit. Vt ſcopulos vndanti turbine ſæpe
Vnda quatit; mox fracta gemit, furiamq; reuoluit
Maiori reditura globo: ſic ille furentem
Circuit expugnans, & vulnera ſignat, & ictus;
Concaua quà collo præbebit vertebra flexum,
Taurus vt excuſſo tantùm petat aëra cornu:
Donec turpè gemens det terga patentia ferro,
Proſciſsisq; patent largo palearibus armi
Sanguine, & in medio ponat ſua membra theatro,
Atque Equiti dederit Deus, aut ſua dextera palmam.
Sed ſi fortè iuuat reuocare ab origine ludum,
Exequar. Ogygijs olim fuit Ampelus oris
Rege ſatus magno, tua maxima cura, Lyæe;
Qui dum frondoſis traheret ſolatia ripis
Eurotan iuxta, curamq;, diemq; leuaret;
Roſcida conſpexit carpentem gramina taurum,
Et propè ſuccedens; illum ſeu dira cupido,

Seu

Seu Deus impulerit; taurus licèt efferus iret,
Impatienſq; iugi, curuiq; immunis aratri,
Emicat in dorſum; rapidas ſed taurus in iras
Protinus exarſit, ſtimulis velut aſper adactis,
Horrificamq; animo Deus obiectaſſet Erynnin,
Perq; omnes Iuuenem profugus perterruit agros.
Non ſecus immiſsis agitata furoribus Io
Per loca it in præceps, quà ſpiritus vrget euntem.
Non ſecus in liquidas deuexit Agenore natam
Taurus aquas, medij cùm per ſpatioſa profundi
Terga tulit prædam non dedignatus in herbis
Iuppiter errantes inter mugire iuuencos.
Iam Bacchi poſcebat opem, dum per loca fertur
Horrida, vbi nemo, niſi mors veſtigia fecit:
Sed quis opem ferret? probibent fata, aſpera fata
Ampelon vſque ſuæ traducere ſæcula vitæ.
Sunt enim Agenoreis tauri fatalia ſemper
Omina: iam lacrymis omnes in vota fatigat,
Quot Thebæ peperere Deos, an fortè dediſſent
Auxilium Diui, quod non potuiſſet Iacchus.
Aſt auræ torſere preces: O Iuppiter, inquit,
Maxime, Agenoridis traberis ſi ſanguine Cadmi,
His Cadmi de ſtirpe ſatum me deme periclis;
Si quis Agenoridis memori ſub corde puellæ
Spirat Amor, Tyrium nec cùm ſulcaueris æquor
Tanta pererrati preſſere incendia fluctus,
Eripe me letho, &, ſi fas eſt, redde parenti.

Sic

Digitized by Google

Sic tua perpetuis vigilent altaria flammis,
Caſurusq; ſacræ taurus det colla bipenni.
Siue vbi laurigeras obnubit Olympicus aras
Puluis, & Elæo maior de nomine ſurgis.
Siue Parethonias vbi Nilus inundat arenas,
Ægyptoq; omni dici vis corniger Ammon.
Audiſſet fortaſſe preces Deus: inuida Iuno
Sed vetuit, pueroq; ait, hoc vlciſcar adempto,
Vtraque quot mouit mihi tunc ſuſpiria pellex:
Iam fruor iſta clade domus ab Agenore ducta,
Iam fruor hoc, Semele quem fert ſatus ipſe dolorem,
Et geminum felix vno de funere luctum
Aſpiciam, Europæ hoc, Semeleſq; iniuria poſcit.
Vix ea, cùm tauro immittit Dea fortiùs œſtrum,
Et furere, & ruere, & ſecum trahere omnia curſu
Impulit. abrupta donec de rupe ruentem
Proiecit Iuuenem, multo quà ſtipite ſe mons
Aſperat, vnde omnes prouis iam curſibus artus
Voluuntur laceri, ſaxiſq; abſciſſa teruntur
Corpora, & in mediјs latè luctantur acutis
Cautibus, & fuſus ſequitur ſua corpora ſanguis:
Senſerat id Genitor; Patrum quis falleret aures!
Et properat laturus opem, ſecumq; potentum
Magnũ Equitũ properans trahit agmen ab Vrbe, ſed inſtat
Serus in auxilium: crudeli morte peremptum
Ogygia ſub rupe videt, latèq; refuſis
Imbribus ora rigat, ſparſoſq; recolligit artus,

Triſtes

Triſtes relliquias, incertaq; membra repoſcens
Iam centena vnit diſectum in vulnera corpus,
Statq; ſuper lacrymans, animamq; per oſcula quærit.
Nec ſine lege dolor, nec pleno è lumine fletus
Vindictæ fecere modum; velut agmine facto
In taurum ruitur, ferriq; in acumine lethum
Armatur, centum petitur moriturus ab haſtis
Corniger, & largo ſatiatur vulnere telum.
Hæc autem in populos ſpectacula tranſtulit Euan,
Et Iuuenem memori in tauros vlciſcitur ira;
Triſtiaq; hoc Deus eſt ſolatus funera ludo,
Aonio poſtquam thyrſo turbatus Hydaſpes,
Et Dircæa tremens iurauit in Orgia Ganges;
Præſcripſitq; Argis morem, quem protinus vrbes
Thebanæ coluere ſacrum: ſed mœnia poſtquam
Thebarum ſonitu cytharæ conſtructa canoræ
Diruta Pellæo ſtrepitu cecidere tubarum
Sub Duce, Cecropijs vltro auxiliantibus armis
Subtraxit ſeſe Macedum Gens illa furori,
Caucaſeosq; ſinus, & inhoſpita rura ſubiuit,
Proxima cuius agros Gens appellauit Iberos.
Mox & Alexandri rurſum depulſa duello
Heſperias penetrauit aquas, atq; intima montis
Saxa Pirenæi, & fontes ſuperauit Iberi.
Hùc patrios ſecum ludos, moremq; Pelaſgum
Traxit, vt & ludos, & haberet Iberia nomen.
Sed quæ ingrata nouos preſſere ſilentia luſus,

Quos

Quos modò Mygdonio rediens de litore, & Aula
Perſidis in Latium retulit tibi Vallius *Heros,*
Roma, pererratis poſtquam remeauit Eois?
Hos ludos Equites docuit præbere Latinos,
Atria quà laxant regalia tecta Philippi,
Cui ſtabilis nomen poſuit fatale Columnæ,
Fulciat vt Latium, Maieſtatemq; Latinam.
Biſſeni incedunt Equites, quos ſeparat agmen
In geminum Ductor, qui ſic fræna aurea tractent,
Nubigenas vt culta minùs Natura bimembres
Cognatis aptarit equis; quibus aureus altè
Pendeat è longa dimiſſus malleus haſta.
Tunc Campo in medio alternis agitanda repulſis
Stet pila, quam primo ſeiunctus ab agmine in agmen
Haſta mittit Eques, totasq; immittit habenas,
Cornipedisq; audax in ludum vulnerat armos:
Et curſum in læuam torquet, tunc ilicet alter
Accurrit ſocios linquens, agmenq; ſecundum,
Percuſſamq; pilam, quam geſtat, percutit haſta,
Pulſatam pulſans celer, immiſſamq; remittens,
Atque etiam in læuam ſubitò flexiſſe recurſum
Eſt opus, vt veniens illam ſimul impetat alter;
Atque alter, cunctiq; ſimul curſusq; recurſusq;
Inuoluant adeo, vt quicumq; pilam inde repellunt
Aduersùs ducant, ſternantq; abigantq; ruantq;
Præuertantq; alios, ludumq; vmbrante tumultu
Inconfuſa terant ſpatia, & ſua fræna ſecuti

Dexteriorem adeant gyrum; & vibrantibus haſtis
Hàc redeant, multosq; ſimul glomerentur in orbes,
Euoluantq; globos: tunc alter inurgeat, alter
Ictum reijciat. Qualis, cùm ſanguis, & ira
Hinc, atque inde calet, nullo ruit ordine Mauors
In bellum, mixtiq; Duces; Equitesq; Pedesq;.
Vna in nube latent, premit indigeſta phalanges
Copia: ſic Equites ludo funduntur, vt acer
Ille, atque ille pilam feriat, campoq; rotantem
Deducat, donec moriatur in agmine, & illud
In quo fortè ictu immunis pila ſiſtitur, agmen
Amiſſæ victum deponit præmia palmæ.
Heu, ſic ipſe pilæ percuſſus ab ictibus Orbis
Luditur in morem, ludo hoc Fortuna ſuperbit;
Impellitq; pilam Tempus, Virtusq; repellit;
Et licèt arte minor, melior quàm Tempus, eadem
Dexteritate viget, viresq; acquirit eundo:
Dum ludunt ictus ſignat, numeroq; recenſet
Artis opus, partiturq; illis vltima lethum
Præmia, victorem quæ vel poſt fata ſequentur.
Hac ait Arſacidem ſeſe exercere Palæſtra
Vallius, *Odryſijs quoties reſpirat ab armis,*
Nec rurſum bello fremit impacatus Araxes,
Vt validam priſcis ſpoliet Babylona trophæis:
Sed dum pacatis arrident otia campis,
Gemmatiq; petit Perſis velamina cultus,
Et pharetrata ſuas deponunt Suſa ſecures,

Ar-

Armataq; truces ſpoliantur arundine crines.
Cùmq; minax olim mitis iam demetit agrum
Enſis, & auulſis ſub fornice caſſida criſtis
Naſcentum primis volucrum ſonat iſta querelis,
Et fœtæ in clypeis nidos poſuere columbæ;
Et comuntur equi, quorum fragor ante ferocem
Pone metu fluctus torquere coëgit Orontem,
Natali vt pauidus caput occultaret in antro.
Arſacidæ magno debet nimis Itala tellus,
Ille etenim vetuit, quin Thracia ſaua rotaret
In caput Auſoniæ Rodopen, & turbine belli
In nos armatum totum transfunderet Hebrum.
His agilis ludis, animoſq; edoctus equeſtres
Sudet equus, cui nempè animoſior impleat artus
Feruor, & ad iuſſum micet integer horror, eumq;
Ingentis celerem ſolertia temperet artis.
Qui Domino ſit & ardor Equo; mentem ille ſedentis
Induat in ludos, ſiue ille rotetur in orbes,
Siue eques auratis feriat calcaribus armos,
Siue manu curſum, laxaſq; repoſcet habenas.
Qualem Franciſci *torquet manus inclyta fræno*
Cornipedem, campo è pingui quem miſit Iapyx,
Cui domini fecit nomen fauor. Vndiq; Romæ,
(Si quando incedens plateas ferit vngue ſonanti)
Illum omnes acuunt plauſus, cupit ipſe terentem
Gramina campus equum, magnoſq; agnoſcere greſſus
Gaudet humus, veteriſq; dolent ſpectacula Circi

Non vidiſſe parem: ſi proſilit ille volantis
Æmulus eſt Boreæ ſonipes, eſt filius auræ,
It rapidus, veloxq; volat, minùs explicat alas
Aurarum ſpatia alta petens Regina volucrum,
Tardiùs aſtra cadunt, & fulmina tardiùs, ipſa
Dum metitur iter vix mens, oculiq; ſequuntur.
Ferrea centenas leuis excitat vngula flammas,
Nec ſilices tangit, neque pes veſtigia ſignat:
Optaret Cælo Titan, vt litore ab Indo
Flammiferam traheret rapidum per inane quadrigam,
Ni curſu properante diem ferus ille minorem
Redderet, atque breui compleret lumine terras.
Cornipedes ſic Vita fugax prægreſſa volantes
Permeat, atque oculos leuis effugit, ocyor alis
It ſuper aurarum, ruit, & veſtigia delet
Indeprenſa Viris, felix ſi præmia curſus
Occupat, & Cæli tenet inter ſidera metam.
Heu genus humanum, quid adhuc ſpem tempore paſcis,
Si par cornipedi volat irreuocabile tempus?
Heu quid degeneres animos, quid inania ſemper
Corda geris? varios quid multa optare paratum
Spargeris in caſus? fugientibus vtere donis,
Quæ tecum peritura ruant: quid tollis in auras
Sideribusq; domos, & tecta minantia Cælo,
Si modò tecta trahent tecum conuulſa ruinam
Aggeribus ſuper impoſitis? quid ſaucia terræ
Viſcera? quidue inhias pretioſa pericula ponti,

Si

Digitized by Google

Si fugienda tuæ ſequeris diſcrimina vitæ?
O ſpes mendaces, ò caligantia ſemper
Corda hominum; volucri letho fugit icta voluptas,
Nec reditura quies, & ſpes tibi ſubdola vitæ
Hæc ſuper ingenio quondam, cultuq; canebam
Cornipedum: decimum ſignat dum maximus annum
VRBANVS, *cinctuſq; ſacro diademate crinem*
Sæcula nunc priſcum iuueneſcere cogit in aurum.
E terris Virtus quem certa vocaret ad aſtra,
Ipſe, niſi in Populos ſpargit dum iura volentes,
Virtutem in terras dudum reuocaſſet ab Aſtris.

F I N I S.

Digitized by Google

Pag.	verſu	Errata.	Corrige.
5	25	Quamuis haud eadem	quamquam non eadem
6	23.	Boſphoras	Boſphorus
17	25	vouit	vomit
42	vlt.	lubra	labra
47	9	Hæc	Hic
49	1	Orchemonon	Orchomenon
104	9	dexteriora	dexteriore
129	4	cruento quæ fulgurat igne,	quæ fulgurat igne cruento,

Digitized by Google

ROMAE,
Excudebat Iacobus Maſcardus,
M. DC. XXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google